L. CAECILII MINVTIANI APVLEII

DE ORTHOGRAPHIA

FRAGMENTA

ET

APVLEII MINORIS

DE NOTA ASPIRATIONIS

ET

DE DIPHTHONGIS

LIBRI DVO.

EDIDIT ET ANIMADVERSIONIBVS

AVXIT

FRIDERICVS OSANN

PROFESSOR GISSENSIS.

DARMSTADII

SVMPTIBVS CAR. GUIL. LESKE

MDCCCXXVI.

In artibus et scientiis, tanquam in metalli fodinis, omnia novis operibus et ulterioribus progressibus circumstrepere debent.

Baco.

PRAEFATIO EDITORIS.

L. Caecilii Minutiani Apuleii de Orthographia fragmenta, quae Angelus Maius, vir nostris temporibus de litteris humanioribus ut vix alius meritus, in codice Vallicelliano a se reperta sex iam abhinc annis narraverat, 1) ex quo tertio post anno indefessa felicissimi inventoris opera appendicis loco fragmentis Iuris civilis anteiustinianei aliisque veterum scriptis hactenus desideratis annexa Romae lucem viderunt, 2) quum apud Guil. de Schroeter, Ictum Ienensem consultissimum, primum oculis perlustrarem: ego

1) *Giornale Arcadico* 1820. Tom. VII. p. 347: »Non volendo, inquit Maius, che eccedano in lunghezza queste mie letterarie notizie, non dirò presentamente nè di un latino grammatico inedito, che cita un mirabil numero di autori perduti; nè di un latin retore etc.«

2) *Iuris civilis et Symmachi Partes. C. Iulii Victoris ars rhetorica. L. Caecilii Minutiani Apuleii fragmenta de orthographia, cum appendicibus et tabulis aeneis, curante Angelo Maio. Romae M.DCCC.XXIII.* 8.

cum rei novitatem admiratus, tum praesertim crebra scriptorum antiquorum adhuc parum aut plane non cognitorum mentione ab Apuleio facta paene stupefactus, libellum septem vix foliis comprehensum statim coepi perlegere, domi mox relegere, accuratius examinare, de paranda denique nova editione cogitare. Ad quod consilium capiendum quum maximopere commovebar libelli utilitate, quam ipse legendo perceperam quamque alios quoque hinc percepturos praevidebam: tum vero etiam quod libellus tanquam appendicula diversi argumenti scriptis ab editore addita vel potius abdita, ipsius tenuitate philologorum cognitioni facile subducere sese posset, apud me cogitabam, inutile me haud opus suscepturum, si libellum non solum ita typis repetendum curarem, ut facilior ad Apuleii fragmenta aditus pateret, sed ita rem instituerem, ut ipsius editionis principis nullum relinqueretur desiderium. Quocirca quaecunque Maius in hunc scriptorem commentatus est, omnia cum ipsa commentatione de Apuleio, Commentario praevio inserta, accessione aliquot notularum uncis distinctarum aucta, in novam hanc editionem pace editoris clarissimi transire iussi: quo facto iis in primis consultum fore sperabam, qui Apuleium saburra Iuris civilis gravatum emere recusassent. His quae de meo penu addidi, quamquam vereor ne pro libelli brevitate longiora videantur, tamen a novitate argumenti, me vel etiam in

alienos campos aliquoties abripiente, ea veniam et excusationem, ut spero, apud aequum lectorem impetrabunt. Atque ad tantam usque copiam notulae increverunt, ut, ne Apuleii contextus notarum mole plane obrueretur, si, quod ex re maxime esse semper arbitratus sum, ipsius scriptoris verbis continuo subiicerentur, alio loco non potuissent commode apponi, quam ad calcem libelli. Denique Caecilio Apuleio alius Apuleii grammatici libellos *de nota aspirationis* et *de diphthongis* hactenus ineditos iunxi, quod cur fecerim ex iis patebit, quae de altero Apuleio, quem propter recentius, quo vixit, aevum minorem appellare placuit, infra dicentur. Ii vero qui, quod tam insulsus plerumque scriptor atque insipidus in lucem a me protractus sit, mecum fortasse rixaturi sint, in animum sibi inducant, ex antiquitate nullum tam ieiunum vel etiam ineptum scriptum atque abiectum relictum esse, ex quo aliqua certe utilitas et quantulumcunque incrementum litteris redundare non possit. Verissime enim Åkerbladius: »Toute decouverte nouvelle, inquit, quelque petite qu'elle soit, a son prix, et merite d'être deposée dans les immenses archives des connoissances humaines.« 1) Namque cum iis sentio, qui quodcunque antiquarum litterarum nostram tulerit aetatem, si non hodie, fortasse cras cognoscendae rei antiquae

1) Cf. Boissonadi Praef. ad Nicetam.

universae profuturum posse statuant. Quod autem Apuleii illius qualiacunque opuscula in lucem emittantur, id Eberto, bibliothecae Guelpherbytanae nuper custodi humanissimo, acceptum grata mente referimus, qui vir laude mea maior, quum ex Alberti Fabricii nota [1]) inter Marquardi Gudii libros manu scriptos, quorum maximam partem in Guelpherbytanam bibliothecam cessisse sciebam, etiam Apuleii grammatici libellos fuisse comperissem, hac de re a me rogatus, precibus non solum annuit, eosque sese revera reperisse statim rescripsit, verum pro insigni ipsius benevolentia meum in usum, venia Superiorum impetrata, Ienam, quo tum commorabar, transmisit. Ac quod exspectare nemo poterat, ad Gudianum codicem alius quoque, quo eadem opuscula in Guelpherbytana adhuc delitescebant, accedebat, ita ut, quum de uno tantum nanciscendo certam spem foverem, nunc duorum copia fieret.

---

1) Bibl. Lat. Tom. III. p. 41. ed. Ernest. »In Bibliotheca Marq. Gudii exstabat MS. sub Apuleii nomine *libellus de notis adspirationis et de diphthongis.* Incipit: *Omnis adspirationis nota aut principalis est syllabarum, aut terminalis, aut media.* Auctor non Apuleius Madaurensis est, sed recentior quidam: Caecilius Apuleius fortassis Minutianus, Grammaticus Gyraldo laudatus, cuius libri duo de Orthographia dicuntur manu exarati exstare in Bibl. Vaticana et aliis quibusdam. Inter alia laudat *Hieronymum linguae Hebreae,* ut ille quidem loqui amat, *indubitanter peritum.*« Vanam

Et Gudianus ille codex, ut de hoc primum dicatur, papyraceus est, in Guelpherbytanà nunc Gudianorum ducentesimus sexagesimus, novem et triginta foliis formae quadratae, quam dicunt, saeculo XV exeunte in Italia a Petro Ianizario (vide fol. 24 *rectum*) scriptus. Continentur eo:

Apuleii de nota aspirationis liber. Fol. 1 *recto.*
Apuleii de diphthongis. Fol. 11 *recto.*
Servii Centimetrum. Fol. 18 *recto.*
Georgii Mediolanensis XXVIII pedes metrici. Fol. 23 *verso.*
Servius de ultimis syllabis. Fol. 24 *verso.*
Libellus prosodicus anonymus et anepigraphus. Fol. 29 *verso.* Incipit: *Accentus quasi ad cantus* etc.
Phocae Orthographia. Fol. 33 *verso.*
Eiusdem de Graecis dictionibus. Fol. 35 *verso.*
Eiusdem de impersonalibus. Fol. 39 *verso.*
Eiusdem Verba in modis defectiva. Fol. 39 *verso.*

Alter codex item papyraceus Guelpherbytanus, quem Augustus, Brunsvicensium dux, bibliothecae a se conditae addidit, eadem forma in Italia Mediolani, ut Eberto videtur, a tribus saltim manibus saeculo eodem scriptus haecce comprehendit:

Servii Centimetrum.
Donatus de voce et littera, a. 1441 scriptus.

---

hanc de bibl. Vaticana fuisse famam, Maius in Praefatione docuit.

Symbolum Athanasianum.
Liber Apulei de nota aspirationis.
De diphthongis (eiusdem Apuleii.)
Priscianus de accentibus. [1])
Gasparinus (Barzizius) Bergamensis de compositione, scriptus a. 1460. [2])
Augustinus (Datus) Senensis de quibusdam elocutionis praeceptis et imitationis. Scriptus a. 1460. [3])

---

1) Iuvat initium lectionis varietate insigne ex codice transscribere: *Litera est nota elementi, quae cum scribitur et in voce minime resonat, nihil aliud quam nota ad formandum elementum esse experitur, sed cum ex sono in vocem prorumpitur, elementi vocabulum concipit. Quod dum ratio ita se habeat, quasi imago huius rei esse videtur, quippe cum ex aëre percusso ictu linguae constet, unde vox perficitur, quae quidem corpus esse ostenditur. Nam si corpus vox non esset, auditum aurium minime vi percuteret.*

2) Ad calcem reperitur: »Finis die XXVIII decemb. 1460 per Me Baldum Martorellum.« Caeterum hic Barzizii liber exstat in eius Operum editione a Furietto curata, haud longe ab initio.

3) Librarius ad finem haec posuit: »Finitus die XX Decemb. 1460 per me Baldum Martorellum picentem ex serra comitum oriundum praeceptorem liberorum Illustrissimae Blancae Mariae Vicecomitis ac Magnanimi principis Francisci Sfortiae eius viri ducis quarti Mediolani.« Idem Augustini Dati liber, nisi memoria fallit, (nam codex Guelph. suo bibliothecae loco pridem redditus erat) in codice, quem ipse possideo, papyraceo exstat, miscella continente. Typis an impressus sit, me fugit.

Alios codices, quibus uterque Apuleii libellus contineatur, Maius in Praefatione indicavit. Parisiensem chartaceum in Bibliotheca Regia ipse nuper vidi, numeratum 7553: nec tamen operae pretium videbatur, libello *de diphthongis* describendo (alter enim *de nota aspirationis* desideratur) post curas in Guelpherbytano utroque positas novum devorare taedium. Fortasse alios aliae quoque bibliothecae.

His igitur copiis Guelpherbytanis usus, in libello edendo ita versatus sum, ut Guelpherbytanum codicem (hoc eum nomine a Gudiano distinguo), quem diligentiori cura exaratum cognovi, potissimum sequutus, tum tantummodo relinquerem, quum apertum eius vitium auxilio Gudiani tolli videbatur: quod passim factum est. Verum in Caecilii Apuleii fragmentis vulgandis Maii contextum, quem exspectasses, haud integrum reddidi; quae enim mutanda videbantur, mutavi, ita tamen ut varietatem lectionis Maiae accurate in notis indicarem.

De Apuleiorum autem, quorum scripta hoc libello comprehenduntur, aetate et patria quaesituro mihi tanto magis verendum est, ne operam lusisse videar, quanto, quum de eorum vita praeter nomen ne unum quidem verbum memoriae traditum sit, omnis disputatio inter coniecturarum angustias sese contineat necesse est. Quare editoris fuisse nisi putassem, ut sententiam suam qualemcunque in medium proferret, ab hac quaestione eo libentius abstinuissem,

quo etiam Maium in Caecilii Minutiani Apuleii aetate constituenda nec certi quidquam declarare ausum esse animadverterim. Dicam tamen quid sentiam, quamvis haesitabundus, ac primum quidem de Apuleio maiori, libelli de Orthographia auctore.

Quam dubia vero et intricata omnis de Apuleii maioris vita quaestio sit, suo ipse exemplo Maius monstravit, ut qui quum in Praefatione eam in sententiam ferri videatur, ut ab Apuleio Grammatico apud Suetonium obvio [1]) Nostrum differre neget, mox huius opinionis immemor in notis Fragm. de orthogr. §. 9 Apuleio illo, cuius a Suetonio mentio fiat, Nostrum recentiorem esse eam ob caussam recte statuat, quod Stephani Byzantini, quem circa saeculi quinti finem floruisse tradunt, auctoritate usus sit. Misso igitur Suetonii Apuleio ad sequiora tempora deferimur, in quae Nostri aetas necessario incidat. Qua cum computatione illud unum, ne alia, congruum est, quod Noster pro *diaeta* etiam *zieta* olim dictum esse moneat: etenim haec vocabuli forma ante seriora saecula usu non venit. Neque qui Lampridio prior illa forma usus sit, novi equidem ullum scriptorem. Exstat quidem in Paulli et Ulpiani fragmentis iuris *zeta* et *zetarius*, sed non sine suspicione ne qui veterum Ictorum scripta partim in Corpus Digestorum transferrent, ipsorum

1) De Gramm. ill. 3.

aetatis usum antiquiori *diaeta* et *diaetarius* substituerint. Quid amplius? Stephanus ille quum scriptorum ab Apuleio laudatorum, quorum de aetate constat, recentissimus videatur, Noster non potest saeculo fere sexto prius vixisse. Nihili igitur est quod Maius in Praefatione testimonia Donati et Probi §. 12 allata obelo *νοθείας* configenda iubet. Immo saeculo sexto Apuleius fortasse etiam posterior fuit, quandoquidem ex eo, quod Cassiodorus Nostrum non noverit, colligi potest, post Cassiodori demum aetatem Apuleium degisse. Ille enim eo in libello, quem fratrum ammanuensium in usum de orthographia Latina composuit, dum novem de orthographia scriptores non modo recenseat, verum eorum ex scriptis uno quoque auctore sigillatim laudato libellum suum concinnet, Nostrum prorsus praetermisit, qui si post Stephanum Byz. continuo vixisset, Cassiodoro, propterea quod uterque subaequales essent, ignotus esse vix potuerit. Quid, quod idem etiam alio loco [1]) Nostrum non modo non agnoscat, verum de eo ne fando quidem audisse videatur. *Sed ne*, inquit, *tanto bono mutatis litteris, scriptores verba vitiosa permisceant, aut ineruditus emendator nesciat errata corrigere: orthographos Latinos legant, Velium Longum, Curtium Valerianum, Papirianum, Adamantium*

---

1) Lect. Divin. XXX. p. 922. ed. Aureliae Allobrogum 1609.

Martyrium de v et b, eiusdem de primis, mediis atque ultimis syllabis, eiusdem de b littera trifariam in unum posita et Eutichen de aspiratione, sed et Focam de differentia generis. Quos ego quantum potui studiosa curiositate collegi. Et ne quempiam memoratorum codicum obscuritas derelicta turbaret, quoniam antiquarum declinationum pro mixtione propria partes confusae sint, magno studio laboris incubui, ut in libro sequestrato atque composito, qui inscribitur de orthographia, ad vos defloratae regulae pervenirent, et dubietate sublata liberior animus viam emendationis incederet. Diomedem quoque et Theoctistum aliqua de tali arte conscripsisse comperimus: qui si inventi fuerint, vos quoque eorum deflorata colligite. Forte et alios invenire possitis, per quos notitia vestra potius instruatur. Isti tamen qui memorati sunt, si assiduo studio relegantur, omnem vobis caliginem ignorationis abscindunt: ut quod hactenus ignoratum est, habeatur ex maxima parte notissimum. His positis apparet, Apuleium, siquidem Cassiodori aetate floruisset, eius cognitioni et usui sese subtrahere vix potuisse. Eos vero inter de orthographia scriptores, quos suum in librum Cassiodorus transtulisse narrat, [1]) *Lucius Caecilius Vindex* memoratur, quem, modo *Vindicis* cognomen abesset, a Nostro nil differre pu-

1) De orthogr. p. 2281. ed. Putsch.

tarem: sed idem et alio loco rursus invenitur, [1]) neque diversi esse videntur Grammatici, quos binis locis *Lucii* vel *Caecilii* nomine producit. [2]) Itaque quamquam eo adducamur, ut Cassiodoro, qui a. 575 vita decessisse fertur, Apuleium recentiorem esse credamus, tamen vel aegre mihi persuadeo, post Cassiodorum longo intervallo Nostrum vixisse. Mira enim nec satis praedicanda in Apuleii fragmentis inest mentio poetarum veterum aurea plerumque aetate clarorum, quorum exemplaribus Noster non potest non usus esse sua aetate adhuc integris, quae cuncta septimo saeculo vel etiam post usui hominum vixdum patebant. An irrigavit forte hortulos suos Noster ex rivulis admodum tenuibus superiorum grammaticorum, quorum quotquot exstant adeo nullus tanta exemplorum ex limpidissimis fontibus haustorum copia abundat? Quis enim unquam Grammaticorum veterum, ut alia multa taceam, commemoravit Cn. Camerini Excidium Troiae, quis Terentii Varronis Bellum Punicum, quis Cottae Bellum Pharsalicum? [3]) His, quae exposui, si quis meliora, exponat: ego quid statuam de aetate Apuleii haereo. Nec melius de patria Apuleii quaestio procedit. Et quaedam Maius

---

1) Ibid. p. 2317.

2) Ibid. p. 2283 et 2292. Vide tamen Lindemann. ad Pompeium in Artem Donati p. 430.

3) Vide §. 1. 3. 16.

quidem [1]) hariolatus est: natione Afrum fuisse Apuleium, quod Africa scriptores aliquot tulisset nominibus vel Caecilii, vel Minutiani vel denique Apuleii insignes. Quod halucinari magis quam iudicare est. Talibus argumentis cras ego fidem habebo.

Rectius de libelli conditione, quali nunc uti licet, Maius statuit idque ipsa statim inscriptione *Fragmentorum* patefecit. Integro enim de orthographia libro deperdito, quae nunc exstant, pro maioris operis reliquiis habenda sunt: quod et ipsa fragmentorum ratio prodit, et testimoniis scriptorum aliquot comprobatur, qui quoties Caecilii Apuleii auctoritate utuntur, integros locos in edito libello frustra quaesitos passim recitant. Ex horum numero in primus est Caelius Rhodiginus, Nostri variis locis *Lectionum antiquarum* suarum memor, [2]) quae exposita sunt in Praefatione Maii, nostra opera uno aucta. Caelio adde alium scriptorem illo etiam maiorem, cuius librum, qui Maii diligentiam effugit, casu potius quam de industria a me inspectum, tanto magis laetor praetermissum a me non esse, quanto ex eo Apuleii libellum

1) Praefationis p. LXXVIII.

2) Etiam alii scriptores Nostri fragmentis usi sunt, ut Achilles Statius (vide ad §. 43), quod post ea, quae Maius in Praefatione narravit, non mirandum est: et Ursinus et Erythraeus (vide ad §. 15), hi tamen Caelium, ut videtur, sequuti.

emendari copioseque suppleri posse intellexi. De Iohanne Tortellio Arretino loquor, *Commentariorum de Orthographia dictionum e Graecis tractarum* [1]) auctore saepe quamvis tam in-

---

1) Huius operis quatuor editiones novit Freytagius Analect. litt. p. 36, Venetas duas, alteram a. 1471 in fol., alteram a. 1495 in fol. per Io. de Tridino curatam: Romanam per Ulricum Gallum, Teutonicum, et Simonem Nicolai Lucernensem a. 1471 in fol., denique Vicentinam per Stephanum Koblinger in fol. cum lima Georg. Vallae. Quo anno prodierit, Freytagius non indicavit: non diversa tamen esse videtur a Vicentina, quam Brunetus *Manuel de libraires* T. III. p. 469 a. 1479 emissam narrat. De postrema editione ac de lima Georgii Vallae, qui impressoriae tantum artis errores se recognovisse profitetur, quippe iuvenum precibus commotus, qui in Commentariorum illorum lectione adsidui, *multa in illo opere lituris potius quam studio digna* se reperisse dixissent, conferatur eiusdem Freytagii Apparat. litt. T. I. p. 715. sq. Harum editionum nullam novit Panzerus, qui Ann. typogr. T. VIII. p. 339 et 368 recentiores duas affert, Venetam utramque, alteram a. 1501, alteram a. 1504 editam: cf. Panzer T. XI. p. 152. Praeterea Brunetus l. c. septimam adiicit editionem Tarvisanam a. 1477. Laudatis libri huius editionibus octavam denique adde, qua ipse utor, quaeque omnino praetervisa esse videtur a rerum typographicarum scriptoribus. Prodiit: *per Hermannum Lichtenstein coloniensem: Venetiis pridie Idus Novembres accuratissime impressum: Anno salutis .M.CCCC.LXXXIIII.* Curasse eam editionem videtur Hieronymus Bononius, cuius exstat ad calcem postscriptum ad *Primarium litterarii*

epto, ut Caelio Rhodigino [1]) delirare videatur, tamen uno nomine perutili, quod in afferendis scriptoribus non solum superstitibus verum etiam nunc deperditis multus saepe sit. Qui Commentarii propter ridenda saepe artis praecepta olim fortasse spreti, hodie ob insignem editionum raritatem [2]) plane neglecti vel etiam doctissimis viris, quos de iis percunctatus sum, haud cogniti, digni fortassis forent, qui accuratius praesertim a Grammaticis inspicerentur, quibus ut palatum cieam, iuvat ex Praefatione ad Nicolaum V papam scripta locum delibare, quo quibus in hoc opere auctoribus potissimum usus sit ipse declarat: »Accepimusque, inquit, haec primum ex fragmentis decem librorum Papyriani: [3]) quos de orthographia scripsit. Ex quattuor libris Plinii de arte grammatica. Ex unico libro Rhemii grammatici de potestate litterarum. [4])

---

ordinis virum Constantinum Robeganum notarium Tarvisanum. Incipit liber, 196 foliis maximis non numeratis comprehensus: *Johannis Tortellii Arretini Commentariorum Grammaticorum de Orthographia dictionum e graecis tractarum Prooemium incipit ad sanctissimum patrem Nicolaum quintum pontificem maximum.*

1) Lect. antiq. XXVIII, 24. Alio nomine eum carpit Erythraeus Indice in Virgilium v. *Typhoeus.*

2) Vide Freytag. l. c. et Bibl. Solger. T. I. p. 192.

3) De Papyriano vide ad Caecilii Apul. de orthogr. §. 1 et 7.

4) Quaerendum an quae Rhemii Palaemonis nomine *Ars grammatica* a Putschio vulgata est, ab hoc

Ex unico Grylli de accentibus ad Virgilium, cuius parva fragmenta comperimus. [1]) Ex Capro, ex Diomede de octo partibus orationis. Ex Probo doctissimo grammatico. Ex Quintiliano viro summo. Ex Varrone de lingua latina. Ex Aulo Gellio. Ex Donato: Servio: Prisciano: Victorino: Sergio: ex pluribus aliis latinis grammaticis: graecisque minoris auctoritatis cum antiquorum grammaticorum libros amiserint. Repperi tamen Herodiani fragmenta quaedam de orthographia: [2]) et eiusdem libros integros quat-

---

de potestate litterarum libro non differat. Feruntur enim passim Grammatici huius fragmenta, quae in opere edito desiderantur.

1) Huius Grammatici hodie, quantum memini, unica exstat apud Priscianum mentio, qui I. p. 560. de aspirationis nota loquens: *Grillius vero ad Virgilium de accentibus scribens lenem nominat*, ubi vett. edd. *Gryllus*, cum Tortellio plane consonantes. Contra Krehlius *Gryllius* ex MSS. Ego nihil deciderim. *Grulium* lapis Gruteri p. CLXXIII, 7. *Gryllus* vero certe Graecum nomen, quidni etiam Romanum?

2) Herodiani de orthographia fragmenta plura Orio servavit nuper editus: vide etiam Villoisoni Anecd. T. II. p. 184 et Choeroboscum Bekkeri Anecd. p. 1354. Nec tamen iis usus esse videtur Tortellius. Nam ad Apuleium minorem de nota asp. §. 11 locum ex Herodiani Orthographia excitavi, quem alibi adhuc quaero. Memorabilius est quod Tortellius de eiusdem libris quatuor de constructione integris narrat, quibus significare videtur Herodiani *Σύνταξιν τῶν στοιχείων*, Theognosto laudatam in Bekkeri Anecd. p. 1385 et 1427. Non novi editam.

tuor de constructione. Ex glosulis etiam Aristarchi super Homerum et Hesiodum. [1]) Quin et ex Porphyrio super Homerum plura annotavimus. Quae vero ad historiam faciunt: ex Virgilio: Ovidio: Homero: Hesiodo: Livio: Plinio: Iustino: Herodoto: Thucydide: Appiano: Diodoro siculo: multisque aliis approbatis auctoribus et graecis et latinis: quos suis locis commode inducemus.« Praeterea etiam alios Grammaticos Tortellius passim laudat, mihi quidem incognitos, ut Dardanum, [2])

---

1) Tortellius infra fol. 42. *recto: Ardiscos cum .i. latino et .c. exili scribitur: fuit teste Aristarcho in theogoniam Hesiodi fluvius in scythia: quem Herodotus libro historiarum IIII per odyrsos populos scythiae profluere dixit.* Idem fol. 184. *verso: Tartarus absque aliqua aspiratione scribitur: locus est infernalis, quem Aristarchus super Hesiodi theogonia a ταρáττομαι: quod est conturbor derivari dixit: quia illic omnia perturbata dicuntur: et in plurali solo neutro effertur.* Praeter nomen lucubrationum harum Aristarchi nihil superesse monuit Groddeckius Initiis hist. Graec. litt. T. I. p. 32. Gellius XX, 8: *multo mirandum est magis, quod apud Plutarchum in IIII in Hesiodum Commentario legi: Caepe tum revirescit et congerminat decedente luna, contra autem inarescit adolescente. Eam causam esse dicunt sacerdotes Aegyptii, cur Pelusiotae caepe non edant* etc. An forte Aristarchi nomen Plutarchus occupavit?

2) Fol. 183. *recto* binis locis, nisi vitiose pro *Didymo.* Sermo enim ibi est de ponderibus, talentorum generibus et quae sunt eiusmodi, de quibus constat Didymum scripsisse.

Parmenidem, [1]) Petronium, [2]) Parthenium [3]) aliosque.

---

1) Fol. 52. *recto: Bithynia prima cum .i. latino: sequens cum .th. aspirato: et .y. graeco: penultima cum .i. latino scribitur: licet Parmenides latinus quidam grammaticus: et qui nunquam codicem graecum vidit: aliter somniet.* An is forte Tortellii aequalis putandus?

2) Fol. 56. *recto: Sane Paulo iurisconsulto de verborum significatione ante diem decimum calendarum: et post diem decimum calendarum atque utroque sermone undecimus dies significatur. Similiter Petronio grammatico teste intra calendas id fieri dicitur: quod non ante calendas, id est, eo ipso die: quo calendae sunt agebatur.* Fol. 67. *recto: Classica cum .c. exili et duplicato .ss. scribitur: sunt teste Petronio grammatico cornua tubae quae convocandi causa facta erant. et ut ait a calando classica dicta sunt.* Fol. 108. *verso: Unde etiam humanitas quae teste Petronio grammatico proprie est eruditio institutioque: quam in bonas artes didicimus: quas qui sinceriter (ut ait) cupiunt appetuntque: hi sunt maxime humanissimi. Et quoniam disciplina haec ex universis animantibus soli homini est concessa: humanitas maxime appellatur.* Petronium philosophum novi ex vetere Persii vita, non item Grammaticum.

3) Fol. 116. *recto: liburnum: genus est naviculae velocissimae a liburnis primo compertae ut Parthenius grammaticus attestatur.* Fol. 175. *verso: Sycos cum .y. graeco et .c. exili scribitur: vocabulum est Graecum id significans quod ficum dicimus: et a nonnullis a poetis nostris antiquissimis teste Parthenio* [impressum *Parthemio*] *usitatum fuit: et Nevium rettulit dicentem: Hodie sycos mihi recens fuit.* Qui locus admodum memorabilis

Hic igitur Tortellius incredibilis, paene vir lectionis, Caecilii Apuleii Minutiani opusculo usus, operi suo complura inseruit fragmenta, in Vallicelliano codice nunc partim inventa, partim etiam desiderata. Videlicet *Apulegii* (sic enim nomen plerumque scribitur) grammatici cuiusdam frequens fit apud Tortellium mentio, atque ita quidem ut quae reperiantur fragmenta eius nomine inscripta, in Caecilii Apuleii fragmentis aut in Apuleii minoris opusculis ad verbum fere expressa recurrant, aut si in utroque desiderantur, in opusculo maioris Apuleii suum sibi locum vindicent. Passim etiam quae sine auctore a Tortellio proferuntur, apud Caecilium quidem exstant, (velut §. 32. ubi vide), apud minorem autem Apuleium desiderantur: unde non possis non colligere, utroque Apuleio Tortellium usum esse, quum primo eam potissimum ob causam, quod Tortellius Grammaticum uno tantum Apulegii nomine, si recte memini, laudet, suspicatus essem, minoris tantummodo opuscula Tortellio cognita fuisse. Nunc vero secus videtur. Porro maiorem Apuleium rursus minor exscripsit, ut multi loci affatim testantur: vide ad Caecilium Apul. §. 46 et 50, qui locus etiam hoc nomine memorabilis est, quod quum maior verbo *formari* usus esset, minor eius loco suae aetatis verbum *effigiari*

---

videtur propter allatum Naevii, puta ex comoedia, locum, inter eius reliquias frustra a me quaesitum.

substituerit. Praeterea cf. libr. de nota asp. §. 45. de diphth. §. 12 et 26. De hoc autem minore Apuleio nihil aliud prorsus constat, quam quod ex eius opusculis colligitur: unde in recentissimam eius aetatem coniecturam facere licet, quod non fugit Maium, quem vide in Praefatione. Ante enim saeculum X eum floruisse vix dixerim, siquidem talem magistellum floruisse dicere liceat. Erat etiam quum putarem nullum omnino Apuleium minorem exstitisse, eiusque opuscula ipsum maioris librum de orthographia fuisse, serioris aetatis glossis additamentisque intempestivis et ineptis deformatum. Sed refragatur utriusque operis ratio et argumentum.

Huius rei quidquid est, extra omnem dubitationem positum videtur, opuscula de nota aspirationis et de diphthongis Madaurensem Apuleium auctorem habere non posse, quamquam hac de re in recentissima Madaurensis philosophi editione post Oudendorpium a Bosscha curata suspicio moveatur, quo minus a Caecilio Apuleio Minutiano, ex Fabricii quidem sententia, profecta sint: 1) qua de re quid statuendum sit, ex superioribus iam liquere arbitror.

Scribebam Gissae mense Sept. MDCCCXXVI.

---

1) Comperi haec ex Ephem. litt. Hal. 1825. Suppl. 11. p. 84: nam librum ipsum oculis non usurpavi.

LXXII DE L. CAECILIO MINVTIANO APVLEIO GRAMMATICO, PRAEFATIO ANGELI MAII.

I. Olim videram obiter in Luduvici Caelii rhodigini antiquis lectionibus citatas aliquoties Caecilii Minutiani Apuleii grammatici auctoritates. Mox in lamiano florentinae Richardiorum bibliothecae catalogo Apuleium de orthographia recenseri observaveram. Itaque quum Florentiam ante hos annos venissem, et richardiani codicis copiam nactus essem, deprehendi non id esse opus vetus a Caelio lectum, sed valde recentius quoddam multoque minoris faciendum. Mox in vaticanis quoque codicibus nihil aliud quam id ipsum richardianum scriptum inveni. Sed ecce demum dum vallicellianae bibliothecae apud s. Philippum in urbe nonnullos codices benignitate docti praesidis cursim inspicio, in illud demum opusculum, quod Caelius prae manibus habuit, lubens incurri. Est is codex quidam miscellus in quo sunt alia bonae frugis complura, inter quae manu propria Achillis Statii occurrit hoc *κειμήλιον*, quod facultate a dominis impertita nunc in lucem protraho. Achillem Statium Lusitanum doctrina varia editisque operibus clarum Romae olim familiaritate divi Philippi usum scimus, cuius novellam religiosorum virorum sodalitatem quum ea qua par erat veneratione prosequeretur, suam ei bibliothecam moriens legavit, et se quoque apud

illam tumulari mandavit. Atque hinc videli-
cet accidit, ut opus hoc grammaticum Statii LXXIII
manu descriptum in vallicelliana bibliotheca
conservaretur. Idcirco autem Statius describendo
Apuleio operam dedit, quia inter cetera studia,
grammaticae apprime eruditioni vacavit, id quod
eius certe commentarius ad Suetonii gramma-
ticos demonstrat.

ll Sed ante quam de Minutiano Apuleio eiusque codice explanatius dico, locos a me excerptos e Caelio rhodigino scribam, quorum aliqui quum ad verbum in vallicelliano codice occurrant, iustum operis veritati dant testimonium: quod vero aliqui desiderantur, codicis imperfectio in causa est, ut infra docebo. Sic igitur in antiquis lectionibus Caelius.

VII, 4. In fragmentis Caecilii Minutiani Apuleii veteris grammatici adnotatum comperi, Virgilium ab virgis esse cognominatum, inter quas sit natus: propterea primam habere .i., non .e., cui suffragetur illud Calvi

et vates cui virga dedit memorabile nomen laurea.

Fatetur tamen idem Apuleius, in aliis Vergilium ab vergiliis inflecti. 1)

---

1) Hunc locum refert etiam Lilius Gyraldus de poet. dial. IIII. ed. Lugd. Batav. tom. II. p. 204. F: *in Caecilii Minutiani Apuleii fragmentis, quae leguntur, modo a virgis Virgilium dictum, modo a vergiliis Ver-*

[1) *X*, 18. *Sed et Orcius thesaurus pro Cato-*

---

gilium etc. fere ut apud Caelium. Sane uterque (Caelius nimirum atque Gyraldus) Ferrariae studiis operam dederunt, ibique Apuleii fragmenta legisse videntur: quod eo vehementius mihi persuadeo, quia Perottus, ut infra dicam, Ferrariae describebat falsi quoque Apuleii opusculum. Ceterum tum quia Gyraldus paulo iunior Caelii opus [prodiit primum a. 1516.] ante dialogos de poetis editos legere potuit; tum quia alibi Apuleio non videtur uti in his dialogis, quamquam Apuleius tot poetas appellet; valde suspicor haud ipsum Apuleii codicem, sed Caelii tantummodo testimonium, a Gyraldo fuisse lectum. [Parum circumspecte haec Maius. Gyraldus enim non modo non alio quoque operis sui loco Apuleii auctoritate utitur, sed de Apuleii fragmentis ita loquitur, ut dubium nullum relinquatur omnino, quae hinc promat, ex Caelii lectionibus mutuatum se haudquaquam esse. Sed audi Pisonem ipsum in Dialogo de Poetar. historia IV p. 226. D. ed. Colomes. ad Gyraldum haec facientem verba: *Attende, quaeso, Lili, quae ex communi amico his diebus audivi, is enim se domi habere affirmabat quaepiam Caecilii Minutiani Apuleii fragmenta, in quibus de Ovidio poeta haec fere inerant perscripta.* Dein, recitatis iis quae in nota ad fragm. ex Caelii XIII, 1 exscripsimus, Pisoni Lilius noster respondet: *Istiusce, Piso, rei fides esto penes auctorem adhuc mihi incognitum, et amicum tuum: et simul ad puerum conversus, ea, Pice, inquam, quae nobis modo Piso retulit, parum comperta, non tamen indigna scitu.* Quamquam amicum hunc Pisonis et Gyraldi communem si quis putet Caelium fuisse, ego quidem non repugnaverim.]

[1) Quod uncis inclusimus fragmentum apud Cae-

nio, hoc est inferno, ab eruditis dicitur: sicuti Naevius in epigrammate attestatur illo, quod sibimet vivus concinnarat:

Itaque postquam est Orcio traditus thesauro,
Obliti sunt Romae Latine loquier.

Orci tamen legebat Minutianus Caecilius in libro de orthographia. [1])]

XII, 18. *In fragmentis Caecilii Minutiani Apuleii de orthographia, ne quid dissimulem, diaetam comperi etiam ziaetam dici.*

XIII, 1. *In Caecilii Minutiani Apuleii frag-* LXXIIII
mentis [2]) *observatum, annis septem in exilio consumptis, functum esse fato Ovidium calendis*

---

lium lectum, id Maium fugit, meo studio tandem inventum, in quo quum Caelii triginta libri oculis certe perlustrandi essent, quantum taedii devorarim, dici vix potest.]

[1) Non praetermisit hanc Caecilii auctoritatem Lud. Carrio ad Gell. 1, 24, ubi Naevii epigramma plenius promitur, in Analect. crit. p. 37 emendatum. Alio modo nuper restituit Bothius Poet. Lat. scen. Vol. V. P. I. p. 82.]

[2) Eadem quamvis aliis verbis ita retulit ex Apuleio Gyraldus de Poetar. historia Dial. IV. p. 226. ed. Colomes.: *eum* [Ovidium] *scilicet calendis Ianuarii, qua die T. quoque Livius decesserit, anno sui exsilii septimo, hominem esse desiisse, structumque illi tymbon a Barbaris, ante suarum aedium ianuam. Idem Minutianus ait, item, quem Ibin simulato nomine appellarat, Corvinum fuisse, qui exulantis poetae uxorem sollicitasset, relegationis causam fuisse, quod Augusti incestum*

ianuariis: qua die Titus quoque Livius decesserit: structum item illi a barbaris per multas lacrymas tymbon ante ianuam. Auctor idem Minutianus est, Corvinum ab Ovidio appellatum fuisse ibin ex avis foeditate, cui ventrem rostro purgare insitum sit; et hoc ex Callimachi imitatione: pulsum quoque in exilium, quod Augusti incestum vidisset.

XV, 10. *Apuleius grammaticus, quod illic haereant oculi, hirquos dici opinatur.* [1])

XVI, 24. *Sed, inquit Caecilius Minutianus Apuleius in libro de orthographia, sunt qui scribant coiux, citra ullum omnino N, a coeo; aliis addere unum placet, et coniux dicunt: sunt qui duplex, ut sit coniunx, ex opinationis varietate in verbi deductione.* [2])

XVIII, 1. *Saltationem vero hanc* [*nudorum*] *sive id genus alteram significasse Iuvenalem* [3]) *eo versiculo:*

Qui Lacedaemonium paedaemate lubricat orbem:
putat in libro de orthographia Caecilius Mi-

---

vidisset. Denique Caelii auctoritatem secutus huius fragmenti Salvagnius Boessius haud immemor fuit in Commentar. ad Ovidii Ibin 155 et in Proleg. cap. III.]

[1) Vide Apuleium minorem de nota aspirationis §. 30.]

[2) Exstant inter fragm. edita §. 17.]

[3) Sat. XI, 173, ubi nunc *pytismate* vulgatur, iure, credo, meliori: vide E. G. Weberum ad h. l. p. 338.]

nutianus Apuleius, ac legendum paedaemate, prioribus syllabis diphthongum recipientibus, quia sit utrobique apud Graecos η, et verbo eo plane saltationem innui.

XVIIII, 2. Asciam nonnulli etiam dolabram dici rentur, unde inclinetur dolabella, ut secunda syllaba prorsum habeat A, non O, ut fere vulgo receptum est. Quod Caecilius Minutianus Apuleius in libro de orthographia monumentis prodidit.

XVIIII, 10. Quam Iamben transtulit Planudes, [1] *uti meminit Caecilius Minutianus Apuleius.*

---

1) Rettulerat Caelius Ovidii metamorph. VII, 383 versum *Ophias effugit natorum vulnera Combe.* Tum subdidit *Comben* hanc Planudem interpretatum fuisse *Iamben,* ut meminit Apuleius. Sed ingens aberratio. Neque enim Apuleius Planudis, qui fuit XIIII saeculi homo, videre potuit interpretationem graecam metamorphoseon (quam nuper a cl. Boissonado editam legimus in pulcherrima Ovidii editione, quam nobis curavit vir omni doctrina et humanitate expolitus El. Lemairius). Neque rursus Apuleius si coaevus Planudi erat, tot veteres auctores, quos tertio quoque verbo laudat, prae manibus habere potuit. Spurius est igitur et obtrusus hic Apuleii locus, cuiusmodi alium in Statii codice deletum ab ipso Statio fuisse docui. Porro Caelium miror qui tantum anachronismum non senserit; aut certe alio quovis mentis vel calami vitio laboravit: neque tamen de antiquiore aliquo Planude cogitare eum arbitror: praesertim quia nomen illud *Iambe* revera occurrit in praedicto

LXXV *XX, 13. Scribit Caecilius Minutianus Apuleius Olympum etiam dici Iovem: unde Naevius*

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Ex quo Virgilius, Omnipotentis Olympi: quod si est, falluntur, qui legendum arbitrantur, Omnipatentis Olympi. Nam et Ennius ait,

Decessit Olympius antro. [1])

XX, 28. Scribit tamen Caecilius Minutianus Apuleius in libro de orthographia: ignobiles, ac quorum ignoretur genus, terrae filios a Cicerone et aliis nuncupari. [2])

XXII, 13. Quia porro partus octomestris non fere vitalis est, putat Caecilius Minutianus

---

neoterico Planude. Et quidem de hac Planudis interpretis voce legesis disputantem Burmannum ad Ovid. Nisi forte Caelii textus mendosus est, Planudes pro Planciades; vel aliter interpungendus; ita ut auctoritas illa Planudis parenthesi concludenda sit, mentio autem Apuleii cum praecedentibus copulanda: et nisi denique Caelius hoc a falso Apuleio accersivit, cuius codicem extitisse Ferrariae mox docebo. [Quocunque modo hac de re statueris, ac vitii emaculandi multifariae, ut ipse Maius exemplo docuit, rationes iniri possunt, unum hoc pervideo, spuriam et falsam omnino esse Apuleii mentionem apud Caelium: de altero autem illo Apuleio, quem Caelius ex mente Maii cum maiori confuderit, cogitari non posse, Apuleii minoris libri de nota aspirationis et de diphthongis nunc editi satis coarguunt.]

[1) Leguntur haec in editis, §. 15. ubi vide.]

[2) Vide nunc §. 21.]

Apuleius, Parcis tribus facta nomina haec, Mortuam, Nonam, Decimam. 1)

XXIIII, 4. Quam tamen scribendi rationem [*pulcer pro pulcher*] *insequi videtur Caecilius Minutianus in libello de orthographia, quamquam insigniter mutilato decurtatoque, ac prorsum vetustatis et incuriae vulneribus confosso: in quo et illud adnotavimus, mihi cum flatili scribendum, ut disparetur a vocativo mi.* 2)

XXIIII, 12. [*Eridanus fluminis*] *appellatio* LXXVI *in Italia: quem et Thessalia et Attica, ut credit Caecilius Minutianus Apuleius.* 3)

Fieri autem potest ut apud Caelium alii praeterea recitentur Minutiani Apuleii loci: spissum enim et grande opus antiquarum Caelii lectionum triginta libris expositarum semel ego properante oculo legi.

[1) Pleniora exstant §. 5.]

2) Uterque locus, nempe doctrina de scriptura *pulcer* et de *mihi* distinguendo a *mi* extat in falsi Apuleii grammatici ms. libello. Rursus ergo Caelius germanum cum spurio Apuleium confundit. Nisi potius dicendum est (quod valde reor et quod deinceps argumentis confirmabo) spurium opusculum derivatum esse a genuino, multis novae farinae interpositis. [Postremum hoc unice verum: nam, quod miror Maium fugisse, quae Apuleium Caelius refert de *mi* et *mihi* perscripsisse, ea revera exstant apud genuinum Apuleium §. 7.]

[3) Lege haec copiosiora in editis, §. 28.]

III. Bene habet, dicet aliquis, Apuleii grammatici editio: sed quonam fato accidit, ut quum mirabilis auctorum numerus apud hunc nominetur, ipsa porro exempla (quod erat caput et decus operis) praeter unum aut alterum omittantur? Magnum, fateor, id damnum est: neque tamen dubitare licet, quominus hi auctorum loci in vetere Apuleii codice fuerint. Nam Statii apographum spatia ubique habet tanti moduli, quanto opus erat ad inscribenda exempla sive ea prolixiora fuissent sive breviora: modo quippe spatium est aliquot versuum, modo unius, modo dimidii, modo minorum partium: quam ego spatiorum diversitatem in editione mea indicandam curavissem, nisi formis idoneis caruissem. Causa autem omittendorum locorum, mihi quidem, qui lacunas huiusmodi in antiquis codicibus saepe observavi, mira non est. Namque in priscis lucubrationibus, si quando auctoritates aut testimonia aliena proferebantur, haec vel litteris paulo diversis vel coloratis ductibus haud
LXXVII raro fiebant: vel potius spatia a librario relinquebantur, ubi deinde illuminator insigniorem, quam dixi, scripturam pingeret; id quod variis postea casibus fieri neglectum est. Praeterea mos erat veterum amanuensium latine scribentium graecos in primis locos praetermittendi, spatio relicto, in quo hi postea a graece perito exararentur, et quidem plerumque alio suco, puta viridi aut rubro. Sic in vetusto, quem repperi, Ciceronis interprete, graeci loci ab alia

manu suppleti fuerunt subrubro suco, qui ae-
tatem non tulit, ita ut latina quidem scriptura
vivacissima sit, graecae autem vix evanida
verba aliquot legi queant. Item in antiquissimo
palatino Gellii palimpsesto graecae omnes au-
ctoritates praetermittuntur, spatio congruo, ubi
mox scriberentur, relicto, quod numquam postea
occupatum est. Quin in codicibus etiam iunio-
ris aevi, genus eiusmodi hiatuum est, qui adhuc
manum illuminatoris expectant. Hae igitur ab-
unde causae sufficiunt, quominus Apuleii gram-
matici lacunas miremur.

IIII. Quae patria quaeque aetas Lucii Caeci-
lii Minutiani Apuleii fuerit, quis satis proba-
bili coniectura divinet? Insignis ceteroqui est
Suetonii locus [1]) plurimique faciendus: *constat
Lucium Appuleium ab Eficio Calvino equite
romano praedivite quadringenis annuis condu-
ctum multos edocuisse. Nam in provincias quo-
que grammatica penetraverat; ac nonnulli de* LXXVIII
*notissimis doctoribus peregre docuerunt, ma-
xime in Gallia togata.* Et quidem in codice
vallicelliano consonant praenomen *Lucius* et
agnomen *Apuleius.* Etsi autem romani quoque
Apuleii fuerunt, nihilominus propter celebrem
illum Madaurensem in mentem mihi Africa ve-
nit: in qua Caecilii etiam nomen frequentissi-
mum fuit, ut Afrorum scripta demonstrant. Quid
vero? Caecilius ille afer apud Minucium item

1) De gramm. cap. III.

afrum nonne belle alludit ad Caecilium nostrum Minutianum? Professio ipsa grammatici in Caeciliis et Minutianis nova non est: nam Caecilius Frontonis epistulas recensebat: [1]) itemque Menucianus aut Menicianus vitam L. Senecae, auctore filio, scribebat in palimpsesto palatino, ut mihi certe in membranis legere videor. Quod autem Minutianus Apuleius ad voc. *Allia* Romanos dicit *exercitus nostros*, id fortasse non Romam patriam significat, sed hominem qui romano imperio parebat. Denique et ille Minucianus rhetor Nicagorae filius atheniensis, quem in impressis graecis habemus, et cuius codicem Richardiorum bibliotheca conservat, nihil ad nostrum latinum adtinet: de cuius aetate tum ex superius adscriptis Suetonii verbis, tum e postremis auctoribus qui in fragmentis citantur, coniecturaliter, ut opinor, iudicare licet: quum praesertim locus in quo Donatus et Probus laudantur (nequid de Planudis apud Caelium rhodiginum obtrusa aut perversa commemoratione dicam) νοθείας obelo confixus fuerit.

LXXVIIII V. Quandoquidem retro dixi, falsi quoque cuiusdam Apuleii de orthographia in bibliothecis opusculum latitare, superest ut huius rei paulo distinctiorem notitiam scribam. Vir ille

[1) Vide Maium ad Romanam Frontonis Epistularum editionem p. 86.]

infinitae doctrinae Alb. Fabricius narrat, [1]) in bibliotheca Marqu. Gudii extitisse libellum sub Apuleii nomine de notis adspirationis et de diphthongis; eumque incipere *Omnis adspirationis nota* etc. Et merito ibidem censet Fabricius Apuleium hunc iuniorem esse illo celebri Madaurensi. Idem addit famam super duobus Caecilii Apuleii libris de orthographia, qui in vaticana bibliotheca alibique extare credebantur. Duos autem non tam libros quam libellos brevissimos falsi Apuleii reapse extare in quinque vaticanae bibliothecae codicibus nec non in richardiano testis ipse oculatus sum. Auctor italus christianus est, nam et sacris bibliis interdum utitur, et Hieronymum, Augustinum, Isidorum atque Gregorium commemorat. Praeterea longe recentioris aevi est, ut quidam eius locus ostendit e secundo opusculo excerptus. [2]) Neque tamen non valde suspicor, quin LXXX
hic falsus Apuleius verum aliquoties Apuleium

1) Bibl. lat. in Apuleio.

2) *Diphthongi, quibus veteres utebantur Latini, quattuor erant, videlicet ae, oe, au, eu* etc. *Sunt praeterea quaedam aliae diphthongi, quibus nunc utimur, quas a barbaris hodie accepimus: ut ai in Rainaldus, Aimo: uo in Uoldericus: ua in Uazo: ui in Uido: quamvis famosiores nostri temporis per g inchoent huiusmodi nomina, Guazo et Guido scribentes. Plerique autem duo uu* (nempe W) *scribunt, quod omnino caret ratione.* Tum alibi: *Heinricus et Humbertus, quae nuper a transalpinis accepimus.*

exscripserit. Nam quae verus dicit de *halo* et *alo*, *hedera* et *hereo*, *hostio* et *aequo*, eadem habet et falsus Apuleius. Consideratis tamen opusculi huius momentis, etsi, ut dixi, id multo sequioris aetatis est, nihilominus nullam non habet antiquitatem, testimonio etiam doctissimi hominis Nicolai Perotti, cuius in duobus spurii operis vaticanis codicibus haec habetur subscriptio calci operis libelli secundi adiecta: *Apuleii fragmentum de diphthongis, quod in vetustissimo codice repertum est, finit feliciter per Nicolaum Peroctum, quum Ferrariae apud magnificum et generosissimum virum .D. Gulielmum .GR. esset, duodevicesimumque aetatis suae annum ageret.*

L. CAECILII MINVTIANI APVLEII
GRAMMATICI
DE ORTHOGRAPHIA
FRAGMENTA.

L. CAECILII MINVTIANI APVLEII GRAMMATICI 127
Ed. Maii

DE ORTHOGRAPHIA

TRIV LIBRORVM FRAGMENTA.

1. Saeculum cum .ae. diphthongo nulla nisi temporis ratione a multis scribitur; quae observatio minime fieri debet in pedestri oratione. Est spatium definitum centum annorum, sive plurium si ultra producatur. . . Minoris numeri esse non posse Papirius docet, et usus auctorum . . . Cicero ad . . . Plinius affirmat . . . Terentius Varro in Punico bello ita cecinit de Carthaginis aetate. . .

2. Busiris cum .i. latino, qui apud Iovis aram hospites mactabat, divinoque iudicio ab Hercule ibidem mactatus est, auctore Charonte in quarto Apollonii commentario, Pherecyde, Homeroque minore; ex nostris Nasone et Calvo, Lucretio vero in primo. Neptuni filius fuit ex Epaphi nata Libya, Diodoro atque Lucilio, cui

Cornelius Rufus in lyricis ita subscribit . . . Idem Rufus in Pindarica aemulatione . . .

3. Lachesis aspirat .e., una ex tribus Parcis,
128 quae necis nostrae habent arbitrium et vitae, quam ipsa sororesque eius Clotho et Atropos producunt corripiuntve: nam Clotho nendo praesensit temporis curam habet; Atropos filum in fuso perfectum colligit quod est praeteriti; Lachesis per incisionem futuri . . . Dicuntur autem Clotho a . . . Lachesis . . . Cotta in Pharsalico bello . . .

4. Rhoeo aspirat .r., filia Staphyli et Chryseidis, sororibus Molpadia maior, Parthenia minor; quae ab Apolline compressa gravidaque facta, a patre in arca inclusa est, et in mare deiecta, in Delum appulit, filiumque genuit nomine Anium, qui clam ab Apolline alitus et divinitate donatus est, Polycarpi, Alcimi, Maximique testimonio. .C. Proculus in sua Lyde, et Sextus Gracchus in libro amorum historiam elegantissime exornarunt . . . Ovidius aut . u. a. q. l. a. o. n. a. d. h. . . . Delum enim . . . Sed et . M. Fontanus in nympharum et satyrorum amoribus, et .C. Melissus in . . .

129 5. Parcae a partu secundum Varronem, qui quoniam raro est tempestivus septimo mense, nonoque et decimo bene nutritus est, antiqui Parcas Mortuam, Nonam et Decimam piis nominibus appellarunt: ut Ateius, .Cn. Turranius in Helene, et Cornelius Rufus in Pindarica aemulatione.

6. Allia per duplex .l. flumen memorabile exercitus nostri clade .T. Verax in suo sive Homerico Ulixe . . .

7. Mihi habet aspirationem ad differentiam mi vocativi . . . Papirianus . . . Plinius . . .

8. Cymbalum hya habet, et similiter tympanum . . . Vulgatum est proverbium in eos qui vana loquacitate improbe importune inaniterque loquuntur, cymbalum Dodoneum, ut tintinabulum, ut lebes, ut aes Dodoneum, ut pelvis aerea, ut tympanum mundi, ex Aristotele, Menandro, Xenophonte, Zenodoro, Caecilio, Plinio, Suda et aliis. Lupus Anilus proin cymbalum appellat Vranium aemulum.

9. Anius Virgilianus unico .n. notatur. Ana- 130
nius idem dicitur Zenoni grammatico, Philemo, Stephano, Marciano, Methymio. Quintus Trinacrius . . . et .C. Marius in variis carminibus . . .

10. Lemulcatus citra aspirationem dicitur sexta gladiatoris palma. Titinius: „gladiator mi gloria quoius lemulcatus meridionaria; nam erit haec septima laurus." Turpilius in Thrasylione: „nemo umquam vidit ebrium ire interdiu, neque turbam facere, neque fores exurere, aut festras: ut vos caeci qui perpauci ad lemulcatum pervenitis, numquam eam transilitis." .C. Rabirius . . .

11. Eumenides in latino nos Furias dicimus . . . quas Aeschylus primus finxit implicitos serpentibus crines habere. Filiae, secundum Eude- 131

mum, Acheruntis et Noctis fuerunt... Orpheus Plutonis et Proserpinae. Virgilius modo hunc modo illum secutus... Athenodorus et Mnastes Orci et Stygis. P. Terentius Varro facit...

[* 12. Staphylus cum hya. Primus docuit vinum aqua misceri . C. Plinius et Sallustius auctores sunt. Et Staphyli nomine uva staphyle Democrito celebrata. Fuit autem Staphylus aetolus; de quo Virgilius poculaque . i . a. m. u., Donato Proboque testibus, pastor Oenei regis, a cuius nomine Liber pro inventi gloria statuit oenon vinum appellari. Fuit filius Bacchi ex Ariadna, Plutarcho et Dione testibus: vel ex Erigone Icarii filia, Luciano in barbato philosopho et Ovidio in metamorphoseon testantibus. Linus in Aristophanis Plutum Staphylum Bacchi dicit amicum; Grynicus Semeles avunculum.]

13. Cassandra filia Priami vates geminat .s., et in ultima syllaba habet .d., licet apud prissos .t. inveniatur propter cognationem ipsarum
132 litterarum: unde quod olim scribebatur per .d. adque . coniunctio, nunc . atque. Et. at . et . ad. pro . ac . olim dicebatur, ut monumenta testantur antiquissima; postea per .c. ac . differentiae gratia scribi placuit, Plinio auctore, ne aliud quam copulam significare videretur.

14. Proteus filius Oceani, qui Homero et Virgilio testibus, ut notissimum est, in varias formas vertebatur: unde proverbium est apud Plutarchum et Democritum, interpretem Aristo-

phanis et Lucianum in tergiversantes, mutabiles, inconstantes, vafros ac versipelles. Set et Horatius eos qui facile vertunt sententiam, et deprehendi difficile possunt, Proteos vocat. Varro in Punico bello . . .

15. Olympius sive Olympus appellatus Juppiter. Ennius . . . „decessit Olympius antro." Virgilius: „panditur interea domus omnipotentis Olympi." Domitius Marsus in Melaene . . . Aristophanes inter cognomina Iovis ponit Olympius. Laevius: „panditur interea domus altitonantis Olympi" . . . Diodorus quoque . . . hζ. . L . Tuscus in Phyllidis suae amore . . .

16. Pyrrhus scribitur cum hya et duplici .rr.; ultimum quoque aspirat. Fuit rex Epiri, qui pollice pedis sinistri solebat mederi lieni; in- 133
teremptusque fuit a Cerere sub mulieris Argivae *specie*, Herophilo, Polignoque poeta, Leucea ac Paus*ania* in suo templo: sive in aede Dianae a quadam muliere, Trogo, Sallustio et Luceio . . . Illius Cadmus sepulchrum post aliquot annos Epirotarum princeps in cineres versum dissipavit atque dispersit, ut in antiquitatibus Lycophron, Musaeus, Crispus et Naso prodidere. Cn. Camerinus in Troiae excidio . . .

17. Coiux citra . n . in utraque syllaba reperitur apud antiquos; et cum . s . post . x . coniuxs. Nam . x . non erat antiquissimum, pro quo modo . cs ., modo . gs ., modo . ss . utebantur; apecs pro apex, gregs pro grex, Vlysses pro Vlixes. Postea . x . varie usurpata: modo enim pro duplici, modo simplici consona posita inve-

nitur: unde vixi, vicxi et vixsi in libris manu auctorum scriptis et in monumentis vetustisque lapidibus Romanorum . . . Item in . . . quid quod coniux cum . n. in priore . . . Interdum cum . n. in utraque syllaba, ut . . . ex opinatione originis, a coeundo, coniungendo, et coniugendo . . .

134 18. Vulcanus cum duplici . uu . Praecipitatus est a Iove de coelo, quia matri in se auxilium ferre voluerit, Homero in primo . . . et . . . Sed et Valerius in Argonauticis. At Ovidius in Medea a Iunone. Valerius Largus in Antenoris erroribus . . . alibi . . . Pausanias ductum a Baccho ebrium in coelum. Aemilius Macer et . C. Pedo, hic in Epigrammatis, ille in bello Troiano consentiunt . . .

19. Phaon cum . ph. Fuerunt tres . . . . Heraclitus, „Phaon, inquit, fuit amator Veneris, quem cum Mars zelotypus trucidare vellet, in blitis Venus occultavit, unguentoque plenum alabastrum illi dedit, quo hominum pulcherrimus appareret, et deus, uter vellet, videretur, Bacchus sive Apollo.“ Sabinus in Trisene . . . Iulius Montanus . . .

20. Auctor per . c . ante . t ., nomen primigenium communis generis.

21. Antaeus . ae . diphthongum habet. Filius
135 Neptuni ac terrae, frater Busiridis, ferocissimus et immanis ac ferus, uti et omnes alii Neptuni nati; unde *cum* monstrosi corporis esset, terra genitus fingitur. Dicitur et Antaeon Stephano.

Sed et ignobiles, quorum genus ignoratur, terrae filii dicuntur Ciceroni et aliis.

22. Troia modo habet . i . vocalem, modo consonantem.

23. Aeneas Aeneaque proprium.

24. Aevum aliquando dividit diphthongum.

25. Catarrhus per . rr . duplex et . h.

26. Atha per . th . infans VIII. annorum cursor admirandus. Numa in dogmatum philosophiae libro tertio . . .

27. Penelopea uxor Ulyxis, quae et Penelope inde dicta est, quoniam in mare deiectam a parentibus nutrierint penelopes aves. Carus in Hercule . . .

28. Eridanus citra diphthongum, fluvius Atticae, nec non Thessaliae. Est item Italiae, qui et Padus: item Hiberiae; auctoribus Aeschylo, Pausania, Euphorione minore. Cassius Severus in .IV. tragoedia . . .

29. Ocyroe filia Chariclae et Lyci fluvii, habe- 15
bat hya in secunda syllaba, uxor Caici et . . .

30. Cornelius Severus in bello Siculo . . .

31. Aesacus habet . ae . diphthongum, pater Priami, auctoribus Callimacho, Porphyrio, Nasone eiusque interprete.

32. Menoetius habet in secunda syllaba . oe . diphthongum. Fuit filius Actoris, teste Apollonio.

33. Phylaeus cum . ph . et . y . Græca in prima syllaba et . ae . diphthongo in secunda, Augei filius, qui ut ait Homerus minor, in physeterem

a Neptuno conversus est, quod numina maris irrideret.

34. Aedon non habet diphthongum, dictio Graeca, sed et poetis Latinis usurpata pro luscinia.

35. Ceraphia per . ph.

36. Adytum et adyticulum per ypsilon.

37. Antiochus ut peregrinus profertur, et . c. aspirat.

38. Alcyon et Alcyone et Alcyoniae per y.

39. Laodamia habet . o . exilem, filia Pyrrhi in templo crudeliter trucidata ab Epirotis. Vxor item Protesilai, qui . . . Fuit autem Laodamia soror . . .

40. Hedera habet aspirationem, ut differat a verbo edo in temporibus ederam, ederas, ederat; et ab hereo trahitur. Nec debet mirum videri quod prima hederae corripiatur, licet eadem
137 in hereo producta sit; quoniam unum idemque verbum in praesenti tempore . ae . diphthongum habet, in praeterito . e . breve, ut caedo cecidi.

41. Aurigo et auriginosus, cui color et oculi virent, sine aspiratione. Regius etiam is morbus appellatur . . .

42. Au diphthongus . M . Fontanus in nympharum satyrorumque amoribus libro III . . .

43. Battus iambicus poeta Ovidii contubernalis duplici . tt . scribitur, de quo Varius et Cinna contubernales in suis poematis meminere. Fuit et Polymnesti filius, qui Cyrenem condidit; unde Cyrenenses poetae dicuntur Battiadae Hero-

dio et Proculo et Proclo Pindari enarratoribus... Callimachus... Strabo item; sed et . C. Proculus Antimachum secutus in opere quod de Lyde et ipse habet centum et quadraginta elegorum libris; unde latus Callimachus . C. Melisso in libris iocorum dicitur sic ...

44. Aeternus . ae . diph. est qui nec principium nec finem habet, ut deus: quamquam Orpheus, Linus et Hesiodus deos ex chao ab initio erupisse dixerint, quos et plerique ex nostris sequuntur: ut ab antiquo chao veteresque divique novique i. n. t. d. c. a.

45. Aes cum diphthongo scribitur. Testem Varronem alii habent, non ab aveo sed ab asse denominatum ...

46. Halo, las per aspirationem, ut differat ab 138
alo, lis ...

47. Aevum ab *αἰών*, . v . littera hiatus causa interiecta.

48. Ichthys . c. et . t. aspirat, et . y. medium Graecum habet, non autem diphthongum...

49. Aether et aethra diphthongum habent . ae ., nec non aevitas et aevum...

50. Hostis ideo . h . habet, ut genetivus eius pluralis secernatur ab eo quod ostium in nominativo casu: vel quod ab hostio verbo ducatur, quod aequo significat, quoniam in hostium conflictu quaedam ordinum aequatio fieri consuevit. Concordat enim in hoc nomine aspirationis signum cum re quae significatur; quod nota aspirationis secundum veterem scripturam ita for-

maretur, quasi biceps gladius inter duas hostiles partes.

51. Azania est pars Arcadiae, ubi natum Iovem tradit Euphorion, absque .h. Inde se proselenes Arcades, et Cretensibus infensi: quorum bella scripsit ineptus poeta Carmenides. Sextus Gracchus in Thyeste ...

52. Isse filia Macarei citra aspirationem, cuius amore pavit armenta patris in Arcadia Apollo. Ovidius ait mandato Iovis id factum; quo tempore Mercurius ex Pierio agro boves illi rapuit... Scribebatur per duplex .ss.

53. Rhoecus cum .rh. et .oe. diphthongo, de quo nostri poetae et in primis Naso praeter Graecos.

54. Caeneus cum .ae. diphthongo, viri et avis nomen.

55. Tarchetius cum .ch. in secunda syllaba scri-
139 bitur. Fuit pater Latini regis, quem ei peperit Salia Anieni rapta.

56. Dahae cum .h. ante .a. populi in desertis habitantes ultra Scythiam.

57. Myrmecides consuevit per .e. in prima syllaba scribi, et tamen hya habet apud Graecos. Fuit scalptor admirandus in minutis marmoreis operibus formandis, meliorque Theodoro et Callicrate. A ...

58. Ae primum elementum in Aeglaea in prima et media etiam syllaba diphthongus esse debet. Varius Cinnae contubernalis in primo poemate..

59. Acragas urbs . . .

60. Aeas urbs non est, sed fluvius iuxta Apolloniam Epiri. Livius . . . T. Verax in Odyssea . . .

61. Aethiops, Aethiopus, per . ae . diphthongum scribendum . . . Lupus Siculus in Menelao tragoedia . . .

62. Aestus quoque et secundae flexionis apud antiquos erat. Quintus Trinacrius saepius usurpat, ut in Perseo . . .

63. Anhelo, ut halo, unde descendit, cum aspiratione annotatur. Sed Plinio in compositione aspiratio colliditur . . .

64. Pasiphae nec hya nec diphthongum habet. Daphne dicebatur Spartanis, quod certissima oracula daret. Fuit et Cretensis regina Minotauri partu famosa, quo interfecto, Theseus abduxit Ariadnen uxorem sibi et filio Hippolyto Phaedram; cui, Serapione Rhodio et Philochoro, vim intulit eius forma captus, uxore necata. At Phaedra indignata filium patri incusavit quod se appellasset: qui diras in filium iactavit, quae ratae fuerunt: a suis enim equis in rabiem versis innocens discerptus est. Sic illam de se et sorore ultionem scripsit Lupus Anilius. Idem scribit in Helene tragoedia. Parthenius aliter . . . Poeta doctus in suo passere. . .

Sequebantur in codice quatuor vacuae paginae.

In

L. Caecilii Minutiani Apuleii de orthographia fragmenta

Animadversiones.

§. 1.

Saeculum] His usus esse videtur Apuleius minor de diphthongis §. 26. Caeterum de scriptura nominis *Apuleius* hic semel dicatur. Haud enim defore praevideo qui, quod nomen per unam P scriptum exhibuerim, aegre ferant, scilicet per duas exprimendum esse clamantes. Et iure quidem, de antiquioribus si loquuntur temporibus. Nam numi, certissimi hac in re testes, ante Caesarum aetatem percussi, plerumque *Appuleius*, raro *Apuleius* proferunt. Sed aliter habet seriori aevo. Nunc enim tituli et numi crebrius *Apuleius* quam *Appuleius*. Quamobrem non solum in nostri Grammatici nomine scribendo codicis lectionem cum Maio servavi, verum etiam tantum abest ut *Appuleium* Madaurensem recte vocari credam, ut contra scripturam hanc negem genuinam esse. Succurrit enim numus in honorem Ma-

daurensis huius philosophi inscriptus, epigraphe APVLEIVS ornatus, de quo vide Raschii Lex. num. T. I. p. 978. Quae scriptura nominis in novissima Madaurensis editione Batava commendata sit, me fugit. Praeterea vide Fabricii Bibl. Lat. T. III. p. 28. seq. ed. Ernest.

spatium definitum centum annorum] Idem asserit Varro de L. L. V, 2. p. 32.

Minoris numeri] Parum circumspecte haec sunt de spatio saeculi tradita, diverso annorum numero passim definiti, de quo adeas Censorinum cap. XVII. eiusque interpretes. Quandoquidem quinquaginta tantum annos comprehendit, id minus adeo Romanorum, quam Hebraeorum more fit, teste Isidoro Orig. V, 38.

Papyrius] Papyrius seu Papyrianus grammaticus cuius excerpta dat Cassiodorius in orthographia [cap. IV.] MAIVS. Quem ego ideo nego nostrum esse, quod in libro de orthographia quaestioni de saeculo eiusque notione commodum locum dari potuisse vix credam. Fabianum Papirium contra malim intelligere, cuius citantur libri naturalium caussarum a Charisio p. 119. et Diomede I. p. 372. Plinius *naturae rerum peritissimum* appellat. Scripsit idem Fabianus etiam *de animalibus* librum, Charisio p. 81. pariter citatum. Praeterea etiam in foro ob eximiam eloquentiam clarus, quo pertinere videntur eius *libri civiles* Senecae Epist. C. laudati. Cf. eiusdem Epist. XL. et patris Controv. II. praefatione. Denique de eo adeas Digesta. — Nos in contextu exposuimus *Papirius*, scilicet marmora potissimum secuti, haud inscii, in his ipsis, si recentioris aetatis sunt, litt. Y nonnunquam loco litt. I positam esse. *Papyrius* tamen nondum succurrit. Contra afferre iuvat titulum Parisiis a nobis descriptum, quem tamen non ausim dicere ineditum:

V · L · CORNELIVS
SISENNAE · LIBERT
HILARVS · MIN · SIBI · ET
AVGENI · L · ET
C · PAPIRIVS · C · L · HERMO
LICTOR
INFR · P · XV IN · AGR · P · XX

Papirius etiam vetustissimus Ciceronis codex Vaticanus, de Re Publ. II, 35.

Varro] Puta Varronem Atacinum, qui argonautas quoque cecinit et bellum sequanicum. MAIVS. Belli Sequanici meminit Priscianus X. p. 877., Argonautarum Probus ad Virg. Georg. I, 14 et II, 126. et Grammaticus MS. in Sinneri Catalogo Codd. Bibl. Bernensis p. 624. Plura Burm. ad Prop. II, 25, 85. Ex Punico eius bello, quod carmen, quantum sciam, hoc loco primum nominatim citatur, fragmentum sine dubio est a Servio Georg. III, 175 laudatum: *Feta feris Libya.* Apud eundem Aen. X, 396 male editum: *quem versum,* [Ennii] *ita ut fuit, ad suum carmen transtulit Varro et Atacinus*, ubi dele copulam.

§. 2.

Argone] Quaerendum de hoc Argone. Neque certe placet de heraclida Argone cogitare. Gorgon quidam memoratur Pindari scholiastes. MAIVS. Gorgonem scriptorem citat Hesychius et hinc Phavorinus v. *ἐπιπολιαῖος*. Confidenter tamen *Charontem* reduxi, cuius liber *περὶ ἱστοριῶν τοῦ Ἀπολλωνίου* Scholiastae Apollonii Arg. II, 1055 memoratur. (Schol. Paris. perperam *Χάρης* pro *Χάρων*.) Ac de commentario in Rhodii Apollonii Argonautica agi, colligitur ex huius IV, 1396, ubi Scholiastae nonnulla de Busiride, partim certe ex Charontis commen-

tariis sumpta, quorum ex Nostro iam suspicari licet tot libros olim exstitisse, quot Apollonius, cuius *γνώριμος* fuisse perhibetur, litteris consignaverat.

commentario] Cod. *com.* MAIVS.

Pherecyde] V. Sturz. ad Pherecyd. p. 134. 137. s.

Homeroque minore] Num intelligit Homerum tragicum? MAIVS. Nihil decerno: sunt etiam alii Homeri minores, ex quibus pari iure Grammaticus ille hic commemoratus esse potest, de quo Suidas. Cf. Fabricii Bibl. Gr. T. I. p. 665. Harl. Etiam infra §. 33. *Homeri minoris* mentio fit.

Nasone] passim, veluti Arte amandi I, 647. seq.

Calvo] Lic. Calvus Catulli amicus. MAIVS. Iuxta Catullum eum, praenomine *Caii* auctum, laudat Musae Anacreonticae studiosum Gellius XIX, 9, ubi vide Gronovium, quem etiam ad IX, 12 conferas. *Carmina* eius citat Charisius p. 78 et 120, sicuti Gellius eius *poemata*, ex quibus esse suspicor hendecasyllabum ab Asconio Pediano in Cic. p. 153. ed. a. 1644 citatum; porro *Epithalamium* herois versibus scriptum Priscianus V. p. 658. Hexametrorum particulas etiam Valerius Probus citat. Ex eodemque poemate verisimile promi versus illos a Servio Aen. IV, 58 de Cerere laudatos:

Et leges sanctas docuit, et cara iugavit
Corpora connubiis et magnas condidit urbes.

Porro idem ex *Io*, Calvi carmine, hexametros aliquot heroos citat, Eclog. VI, 47 et VIII, 4. In quibus fragmentis quum conspicuum sit antiquatae et obsoletae dictionis studium, belle id congruit cum vituperio, quo Auctor dialogi de caussis corruptae eloquentiae oratorem Calvum carpit, cap. XVIII. Quos diversos esse nego, quamquam id Gronovius l. c. asserit: praeterea poetae et oratoris, quem Ciceronis aliquamdiu inimicum, denique reconciliatum tradunt (v. Senecam Suasor. XIX. Epist. XCIV.

Ruhnken. ad Aquilam Rom. de fig. p. 183. et Schulz. ad Dialog. de causs. corr. eloq. l. c. p. 68.), vita in eandem plane aetatem cadit. Quare erat quum in Quintiliani X, 1, 115. *imitator autem est Atticorum* praestare crederem *antiquorum*, donec *alterum fere Demosthenem* eundem Plinio Epist. I, 2, 2 appellari observarem: quamquam hoc testimonio coniectura illa haud prorsus refutatur. Praeterea Quintilianus et Auctor Dialogi laudati, passim etiam Grammatici Latini, huius oratoris eiusque orationum saepius meminerunt. Caeterum de Calvo poeta adeas Burm. ad Prop. II, 25, 87. De oratore locus exstat in Plinii H. N. XXXIII, 49. *vasa coquinaria ex argento Calvus orator fieri quiritat.* Perperam ita Franzius vulgavit pro *queritur*, quod ab Harduino editum, praeterea Vincentii Bellovacensis auctoritate firmatur, qui Spec. Nat. VIII, 12 haec ipsa Plinii verba recitans, *queritur* servat.

Lucretio] Nihil horum ibi exstat, neque quo libri primi loco hoc argumentum commode tractari potuerit, perspicio. Quare subit me de mendo scripturae suspicio. An forte *Lucilio*? Quod eo ipso praesidii nonnihil nanciscitur, quod in eadem caussa idem testis rursus statim citatur. Ac nomina illa inter se commutari notum. V. Anal. crit. p. 174. Addo exemplum ex Nonio II, 375 v. *gangraena*, ubi codex olim Guelpherbytanus, de quo in Anal. crit. praef. monui, Lucilio *Lucretium* substituit, quamvis hoc minus recte, si hac de re fas est iudicare. Contra idem codex hoc loco aliam offert lectionem egregiam, quam in transcursu indicabo. Videlicet statim ibi sequuntur Varronis haec verba: *Non vituperamus, cum sciamus dictum praecidi oportere, si ob eam rem gangraena non sit ad brachium ventura.* Ibi enim ille pro *dictum*, quod sensu caret, *digitum*. Qui locus alium Nonii mihi in mentem revocat, eadem medicina sanandum.

Etenim Mercerus p. 114, 29 et 446, 33. vulgavit *Laberius in Sedigito: Grundientem aspexi scropham*, unde Zieglerus de mimis Romanorum p. 63 *Sedigitum* Laberii poema laudavit. Illud autem mendosum. Posteriori loco in Godofredi editione recte iam editum *Laberius in Sue dicit:* ac Mercerus in libris MSS. annotavit legi *in sue dicit* et *in se dicit*, sicque reapse exstat in Cod. Guelph. Utroque loco repone *Laberius in sue dicit.* Scilicet *Sus* inscribebatur ille Laberii mimus, cuius argumento optime congruit quod hinc citatur *grundientem* etc.

Libya] Quamquam plerique mythographi *Lysianassam* hanc Epaphi filiam Busiridisque matrem perhibent, tamen nil mutandum hic censui quum viderem, Epaphi filiam etiam *Λιβύης* nomine apud Apollodor. II, 1, 4, 1 et Syncellum Chronogr. p. 152 appellari, quamvis Heynius ad Apollod. II, 5, 11, 7, qui iterum *Lysianassam* profert, id discrimen ex confusione inter Busiridem vetustiorem et recentiorem, si qui fuerunt, facta ortum esse dicat. Quam plurimum autem ab hoc abludit Agatho apud Plutarch. de fortuna Romana p. 315, Busiridem ex Neptuno et Anippe (nisi potius Aganippe) genitum tradens.

Diodoro] Hist. IIII, 18. MAIVS.

Cornelius Rufus] Ovid. pont. IIII, 16, 28. *pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae.* Patet iam Rufum hunc pertinere ad gentem Corneliam, quod se nescire aiebat Burmannus ad Ovid. l. c. MAIVS. Sed de hoc Cornelii nomine valde dubito, an genuinum sit, quamquam idem *Cornelius Rufus Pindarica aemulatione* infra §. 5 recurrat. Ille enim M. Antonii triumviri filius plene appellabatur *Julius Antonius Rufus*, ipso Horatio Od. IV, 2 teste. Cf. Spalding. ad Quintilian. I, 5, 43. Praetextatas *Antonium Rufum* scripsisse, auctor est vetus Cruquii Commentator in Horat. A. P. pag. 632. a. ed. 1593, cuius testimonium

Lange *Vindiciis tragoediae Romanae* p. 11 cur in dubium vocet, equidem non assequor. Praeterea an huius auctoris sint, quae Rufo cuidam tribuunt, quae vero Harduinus Indice Pliniano P. Rutilio Rufo mavult adscribere, nempe Historia Romana Graece scripta et Historia Hispanica, meum nunc non est disquirere.

Pindarica aemulatione] A Rufo Pindarum latinum factum fuisse exploratum est. Hinc Horatius *Pindarum quisquis studet aemulari* etc. MAIVS.

§. 3.

Clotho nendo] Ovidius Ibidis 245.

At Clotho iussit promissa valere:
Nevit et infausta stamina pulla manu,

ubi praefero Codicis mei membranacei lectionem *infesta.* Caeterum hoc valde memorabile, tantopere cum his de Parcis Apuleii Madaurensis verba conspirare, libro de mundo extr.: *Sed tria Fata sunt; numerus cum ratione temporis faciens, si potestatem earum ad eiusdem similitudinem temporis referas. Nam quod in fuso perfectum est, praeteriti temporis habet speciem: et quod torquetur in digitis, momenti praesentis indicat spatia: et quod nondum ex colo tractum est, subactumque cura digitorum, id futuri et consequentis seculi posteriora videtur ostendere. Haec illis conditio ex nominum eorundem proprietate contingit; ut sit Atropos praeteriti temporis fatum, quod ne deus quidem faciet infectum. Futuri temporis Lachesis a fine cognominata, quod etiam illis, quae futura sunt, finem suum deus dederit: Clotho praesentis temporis habet curam, ut ipsis actionibus suadeat, ne cura solers rebus omnibus desit.* Haec Apuleio nostro, nisi totus fallor, ante oculos versata sunt.

Cotta] Cottae poetae contemporanei sui meminit Ovidius l. c. Heic autem titulum poematis ab eo compositi noscimus. Lucanus ergo praeoccupatum thema usurpavit. MAIVS. An idem ille C. Cotta

sit, cuius *pro Cn. Veterio* librum primum Charisius II. p. 195 memorat, amplius quaerendum. Porro L. Cottae passim Quintilianus meminit.

§. 4.

Rhea] Secunda haec Rhea est: nam prima mater deorum, tertia Romuli. MAIVS. Lapsus esse videtur Editor, quum Rheam cum Rhoeo confunderet, quam Anii matrem plurimi scriptores perhibent. V. Creuzeri *Symbolik* T. IV. p. 379: namque Conon Narrat. 41 Creusam nominat. Hunc ipsum Anium eiusque gesta Euphorio carmine celebraverat, de quo adeas Meinekium ad huius poetae fragmenta p. 26, docte de hoc rege et vate disputantem. Matrem autem eius Rhoeo, quam contextui reddidi, apud scriptorem Latinum non invenio memoratam. De sororibus eius etiam minus liquet. Rhoeo et Hemitheam Staphyli filias novit unicus Parthenius Narrat. amat. c. I. Molpadiam memorat Diodorus V, 62, qui pro *Chryseide* Apuleii Chrysothemidem nominat. Aliam Molpadiam Pausanias I, 2 refert. Cf. Caelii Rhodigini Lect. antiq. VII, 15 fin.

Polycarpi] De Polycarpo quaerendum. Ego quidem Carpum historicum citavi ex Proclo ad VI. Cic. de rep. Alcimum vero intellige illum qui scripsit antiquitates italicas, citaturque a Festo voc. *Roma* et ab Athenaeo X, 56. XII, 14. Maximi historici plures fuerunt tum graeci tum latini. MAIVS. Quos ego novi Polycarpos, ii huc non pertinent.

C. Proculus] Memoratur *Valerius Proculus*, Virgilii ex alio patre frater, fortasse idem qui *Caii* praenomine hic et infra laudatur: vide Donati vitam Virgilii c. XV.

Gracchus] Ovid. *cum Varus Gracchusque darent fera dicta tyrannis, Callimachi Proculus molle teneret iter.* Ex

hoc Ovidii testimonio Priscianique duobus VI, 3. 16 Gracchum tragicum noveramus. Sed iam amatorium quoque poetam videmus. MAIVS.

in libro] Cod. *in li*. Quare suspicabar legendum esse *in secundo*: praesertim quia nota numeri secundi in codice Symmachi hanc fere habet formam, nempe Ii. MAIVS. De hoc Gracchi scripto aliunde nihil constat: itaque ne hoc quidem liquet, utrum pedestri an poetico sermone conceptum fuerit. De Proculi autem Lyde coniectando certe hoc assequi licet, ut quid carminis argumentum fuerit, certiores fiamus. Non potest enim dubitari, suam fecisse Proculum eam elegiam, quam Antimachus Colophonius ab amasia sua *Λύδην* inscripsit, in qua quum traditum inveniam, poetam non suos tantum amores, sed alios quoque, qui heroicum saeculum attingerent, descripsisse, intelligitur qui fieri potuerit, ut etiam Apollinis amores ibi locum invenerint, quod nunc demum ex hac Apuleii mentione novo argumento confirmatur. Plutarchus enim Consol. ad Apollon. p. 160. B: *ἐχρήσατο δὲ*, inquit, *τῇ τοιαύτῃ ἀγωγῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ ποιητής. ἀποθανούσης γὰρ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λύδης, πρὸς ἣν φιλοστόργως εἶχε, παραμύθιον τῆς λύπης αὑτῷ ἐποίησε τὴν ἐλεγείαν τὴν καλουμένην Λύδην, ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωϊκὰς συμφορὰς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην.* Ac praeter Antimachum etiam alios poetas, quibus Proculum annumerare posses, idem argumentum tractasse, probabile fit ex Asclepiadis Epigr. XXXVI (Brunck. Anal. T. I. p. 219.)

Λύδη καὶ γένος εἰμὶ καὶ οὔνομα· τῶν δ' ἀπὸ Κόδρου
σεμνοτέρη πασῶν εἰμὶ δι' Ἀντίμαχον.
Τίς γὰρ ἔμ' οὐκ ᾔεισε; τίς οὐκ ἀνελέξατο Λύδην,
τὸ ξυνὸν Μουσῶν γράμμα καὶ Ἀντιμάχου;

Hac de Antimachi Lyde classicus locus, quamvis multis adhuc inquinatus vitiis, exstat in Hermesianactis Elegia, quem is qui copiose de illo opere disputavit, Schellenbergius ad Antimach. fragm. p. 12 non praetermisit. Ex quo unum versum 44 producam mea coniectura tentandum:

Καλλίον' ἵξαον δ'ἦλθεν ἀποπρολιπὼν
Ἄκραν ἐς Κολοφῶνα.

De principio versus rectissime Schellenbergius statuit, oblitteratum videri nomen loci Lydii: Lennepii vero coniecturae *καὶ Λυδίην ἵξεν δῆθεν ἀποπρ.* locum non esse. Quid si legamus *Κιλλάνιον πεδίον*? de quo campo adeas Strab. XIII. p. 600. ed. Basil. Sed quod supra de Proculia Antimachi aemulatione monui, quum videam et inferiori Grammatici loco, immo etiam Ovidii testimonio reprobari, necesse videtur amplius munire. Hic enim Ep. ex Ponto IV, 16, 32 in his

Callimachi Proculus molle teneret iter

manifeste innuere videtur, Antimachi loco Proculum habuisse potius Callimachum Cyrenensem poetam, quem in amatorio suo opere, quo illud *molle* spectare videtur, sequutus sit. Quod Noster §. 43. expressis verbis declaravit, Proculum *Battiadas* in Lyde meminisse, Callimachum quippe *sequutum in opere quod de Lyde et ipse habet centum et quadraginta elegorum libris: unde latus Callimachus . C. Melisso in libris iocorum dicitur.* Nihilo tamen minus Antimachum sustinemus defendendum. Primum enim Callimachum tale carmen, *Λύδη* inscriptum, compegisse, res est adhuc inaudita, veri tanto minus similis, quanto suspicari iure licet, hanc Callimachi Lyden ab Athenaeo XIII. p. 596. F. ubi is, qui praeter Antimachum Lyden scripserit, neminem nisi Lamynthium quendam Milesium laudare scivit, silentio haud praetermissam fuisse. Minime igitur vanam meam de *Callimachi* nomine suspi

cionem esse patet, praeterea eo argumento augendam, quod corruptelae caussam investigare contigerit. In Apuleii enim verbis, quae statim illic praecedunt, rursus *Callimachus* citatur, quod *Battiadas* simul cum aliis auctoribus Cyrenenses poetas dixerit: quod recte habet: vide infra ad §. 43. Num iam novum Criticis hoc videtur, librarium quum semel in *Callimachum* incideret, in sequentibus cum hoc *Antimachum* utroque loco commutasse? Quid, quod et aliud argumentum in promptu est, nostram opinionem extra omnem, ut videtur, dubitationis aleam positurum. Etenim Catullus eo carmine hodie mutilo XCV, quod de Cinnae poetae Smyrna scripsit, quum Cinnae sui exemplo monstrare vult, quantopere ii poetae praestent, qui non ut vulgus stantes pede in uno brevissimo tempore immanem versuum vim effundant, sed potius carminibus scribendis iustam et diurnam operam et tempus collocent, his talem poetastrum intempestive feracem iugulare instituit:

Parva mei mihi sunt cordi monumenta . . . .
At populus tumido gaudeat Antimacho.

Novem enim per annos Smyrnam suam in scriniis Cinnam retinuisse, communis Grammaticorum traditio est: v. Weicherti *Comm. I. de Helvio Cinna*, p. 19. sq. Prior Catulli versus calce hodie haud integer est: neque lacunae explendae vel unus eorum codicum MSS. succurrit, quos Ferd. Handius ingenti numero aut ipse contulit aut ab aliis conferendos curavit; vel lacuna enim ipsi laborant, vel *laboris, labori, lavari* vel alia monstra librariorum exhibent, a loco alienissima. Nullus autem quod ex coniectura in quibusdam editt. legitur, *monumenta sodalis*, quamquam hoc aptissimum foret, scilicet ad Cinnam relatum. Quidquid huius rei sit, Cinnae interpretes quum tumidum Antimachum hic exadversum poni statuerunt, Graeci poetae nomen inter meros Roma-

nos quam parum apte commemoretur haud adtendisse videntur. Nihil igitur agunt, qui *tumidum Antimachum* ipsum Graecum poetam intelligi velint, scilicet Callimachi fragmento inhaerentes, T. I. p. 574: *διασύρων γὰρ [Καλλίμαχος] Ἀντιμάχου τὸ ποίημα τὴν Λύδην, ἔφη·*

Λύδη, καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν.

Lucem accendunt huic loco centum et quadraginta elegorum isti libri, quos Noster C. Proculum de Lyde composuisse infra scribit, unde eodem teste eum Melissus *latum Callimachum* appellarit. Sed enim si recte supra monitum est, *Antimachum* potius Callimacho substituendum esse, non potest dubitari, *tumidum Antimachum* Catulli hunc ipsum esse, quem *lati Antimachi* nomine Melissus perstrinxerit. At dicat aliquis Proculum *lati Callimachi* nomine ab ipso Melisso appellari, quem Propertius *inflatum* nuncupet. Is enim II, 25, 31.

Tu satius Musis meliorem imitere Philetam,
et non inflati somnia Callimachi.

Quocunque etiam modo priorem versum vexatissimum legas, in posteriori eos qui *non inflati* iungendum negent, egregie falli, vel unum principium tertii Elegiarum libri docere potest:

Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
in vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.

Poetam, si quidem antea *inflatum* dixisset, num credibile Propertium tanta aemulatione, qualem in his semet ipso dignam profitetur, prosequutum esse? Immo ut hoc loco, sic supra Philetam et Callimachum Propertius, ut etiam alii poetae a Burmanno laudati, copulat tanquam alterum facultate poetica alteri parem summaque laude et aemulatione utrumque dignum. His positis num iam iure Criticis concesso me abusum aliquis dicat, quod infra §. 43 *latus Antimachus* pro *l. Callimachus* reponendum suaserim? At-

que etiam alibi passim utrumque nomen commutatum est: v. Burm. ad Prop. II, 25, 45. Boessius Commentario in Ovidii Ibin 55. In Ovidii tamen loco, quamquam ei qui *Antimachi* scribere vellet, haud quaquam irascerer, tolerari certe posse video Callimachi nomen, quia nemo certo asserat, praeter Antimachum Proculum etiam Callimachum aemulatum non esse.

Ovidius aut] An *autem* pro *aut*? De litteris singulis statim sequentibus haec accipe Maii: »Hae sunt litterae priores verborum totidem. Sic enim apud scholiastas haud raro compendii causa laudantur versus poetarum, in quos illi commentantur.« Scripturam similiter compendifactam bene explicuit Maius Iure anteiustinianeo p. 85. Ovidii locus adhuc me fugit.

enim] Cod. *.n.* MAIVS. De alio compendio, quo *em* pro *enim* scribitur, monuit Goerenzius ad Cic. de legg. II, 2, 5. Aliud est *ENI*, in codice Neapolitano Digestorum: vide Gauppii *Quatuor folia Digestorum Neapoli reperta*, p. 33.

Fontanus] Ovid. [Ex P. IV, 16, 35] *Naïdas a satyris caneret Fontanus amatas.* MAIVS. Fontani carminis infra tertius liber laudatur.

Melissus] Ovid. *et tua cum socco musa, Melisse, levis.* MAIVS. Mallem Melissi libros *Iocorum* intelligere, de quibus vide infra.

§. 5.

Parcae a partu] Quam recta haec notatio sit, non decerno. Parcas autem mortis tanquam praesides simul tutelares parturientium fuisse deas, egregie olim demonstravit Böttigerus Ilithyia p. 18. seq. non advocato tamen Gellii loco statim laudando. Caeterum hoc de Parcis loco, adducta Apuleii auctoritate,

pridem usus erat Caelius Rhodig. Lect. ant. XXIIII, 4.

Mortuam] *Morta* non *mortua* scribunt apud Gellium III, 16 Livius Andronicus et Caesellius Vindex. Sic in antiquissimo cod. Cic. de rep. II, 18 *mortus* pro *mortuus*. Existimassem autem Apuleium a Gellio hanc historiam sumpsisse, nisi ipse mox alios auctores suae sententiae laudaret. MAIVS. Alteram tamen scripturam antiquitati remotae vindicat forma *mortualis* apud Naevium et Plautum obvia.

Atteius] Atteius philologus quem citat Charisius lib. I. apud Putsch. p. 102. et de quo scribit Suetonius in grammaticis. MAIVS. Plura nos in Analect. crit. cap. IV. ubi etiam de nominis scriptura probabiliori *Ateius* disputatum, quam hic reduximus.

Turanus] Ovid. *musaque Turrani tragicis innixa cothurnis.* MAIVS. Scripsi autem *Turranius* et titulos, in quibus frequens hoc nomen occurrit (v. Grut. p. CCXXXVIII, 12 et Ioannis Lucii Inscr. Dalmat. p. 31. in Graevii Thes. Antiq. Sicil. T. XIV.), et auctores, apud quos Tragicus hic poeta *Gracilis* agnomine cohonestatus memoratur, sequutus: quamquam unum novi titulum, quo illa scriptura nominis servatur, Florentiae in aedibus Riccardi expositum mutilum:

D M
CTVRANIVSALECHSAN
FILIODVLCISSIMOFEC
Q. V. A. VII. M. III. D. VI

Plura de eo Harduinus Indice Pliniano. Noscimus ex Apuleio nunc-iam unum certe eius fabularum titulum, *Helenam*. Cicero nostrum Turannium, ut videtur, χρηστομαθῆ Ep. ad Attic. I, 6 vocat: quare quum doctrina eius multifaria fuisse videatur, non pigebit quaerere, an qui Quintiliano IX, 4, 38 *Lauranius* vel etiam *Luranius* dicatur, non Turranius noster sit. Non tamen reticebo quod ad defendendam

Quintiliani scripturam cum fructu fortasse afferri possit. Idem enim Luranius in his Tortellii de Orthographia fol. 22. a. recurrit: »Ante .s. vero modo consimili .ex. praepositio teste Luranio antiquissimo auctore et Papyriano grammatico libro quarto de orthographia integra conservatur, ut exsicco: exsibilo etc.« Tortellius unde haec habeat, me fugit; si ipso Luranii opere usus non est, ex Grammatico alio, qui Luranii auctoritatem attulerat, certe hausit. De simili autem argumento apud Quintilianum Luranii laudatur opinio, ita ut quidquid de huius Grammatici nomine statuas, utroque loco pateat idem reponendum esse. Caeterum de Turranio nostro aliisque eiusdem, ut videtur, familiae cognominibus video nuper disseruisse Letronnium *Explication d'une inscription Grecque en vers. (Bulletin universel des sciences et de l'industrie, publié par Férussac,* 1825. mens. April. Sect. VII.) Non ita anceps est de Heinsii coniectura iudicium, in Macrob. Sat. II, 4 *Lucius gravis tragoediarum scriptor* ex codice Vaticano *L. Gnaphius tr. scr.* offerente, vel *L. Graccus* vel *L. Turanius* ad Ovid. ex Ponto IV, 16, 31. reponi iubentis. Neque Graccho, neque Turanio locus esse potest, quod ille Sexti praenomine appellatus est, hic Cneii.

§. 6.

Allia] Contra alii Grammatici veteres, quibus se accommodavit Ioannes Tortellius Commentariis de Orthographia: »Alia cum unico .l. et .i. latino teste Servio in VII. Aenei. [vs. 717] scribitur. Idque ostendit Lucanus cum dixit: Quas aliae clades. estque teste Livio libro V. ab urbe fluvius XI. lapide via tyburtina ab urbe distans e montibus crustumeriis in tyberim defluens. apud hunc XV. kal. Aug. Galli duce Brenno romanos stravere: et postriduo urbem etiam deleverunt: excaepto capitolio. Virgilius vero

libro VII. Aenei. metri causa cum duplici .l. scripsit dum ait: Quosque secans infaustum interluit Allia nomen. per quem modum relliquias non solum cum duplicato l. scribimus.» Quae scripturae discrepantia, de qua praeter alios Hottomannus ad Cic. Divin. 15, 48 et Lachmannus Comm. de Die Alliensi Gottingae a. 1822 edita p. 1. s. adeundi sunt, ita facile explicatur, ut quod de consonantibus praesertim liquidis praecedente syllaba longa apud priscos non geminatis in Anal. crit. p. 10. seq. dixi, huc referatur: quam scribendi rationem recentiores a Terentii fere aetate geminando litteras, quae olim semel ponerentur, immutarunt. Lucanus igitur, quum primam corripuit, id praeter consuetudinem, scilicet metro cedens, fecit, dum VII, 409. solito nominis pondere usus est. Reliqui enim poetae constanter producunt: v. Ovidii Ibid. 221. Silii VIII, 649. Caeterum huius nominis apud Consentium de barbarismis, ubi de Labdacismo agit, mentio fit c. XII fin. *ut ille et allia:* unde suspicor Diomedem II. p. 448 emendari posse, apud quem *alma* vulgatur.

Verax] De hoc quaerendum. Verax nepos Civilis apud Tacit. hist. V, 20. MAIVS. Neque ego quaerendo felicior fui. Plures autem et Odysseae et Iliadis conversiones Latinae exstiterunt, Attii, Matii*), Gauri, Laevii, de quibus vide Anal. crit. p. 35. seq.

*) Huic potius hexameter ille herous ex Iliad. Θ, 430 translatus tribuendus, quem Varro de L. L. VI affert, *Corpora Graiorum moerebar mandier igni,* quam Comico Mattio, e cuius comoediis incertis eum Bothius inepte citat Poet. Lat. scen. Vol. V. P. II. p. 276. V. Vossium de poetis Latinis cap. II. Spalding. ad Quintil. III, 1, 18. Eius nomen saepe adhuc vitiose latet; veluti in Priscian. VII. p. 760. *Cn. Manlius in Iliade,* ubi Krehlius caecus plane fuit, quum *Matilius* ederet, quod ne Latinum quidem nomen, dum MS. lectio *Mallius* in rectam viam eum debuisset conducere.

Adde Ninnii Crassi Iliadem, de qua Krehlius ad Priscian. IX, 8. T. I. p. 459., et Lucani libros Ilia con Luctatio ad Stat. Theb. III, 641 et VI, 322 citatos. Veracis Odyssea etiam infra §. 60. recurrit.

§. 7.

Mihi etc.] Excerpserat haec ipso Apuleii nomine Caelius Rhodig. Lect. ant. XXIIII, 4.

ad differentiam] Cod. *et* pro *ad*. MAIVS.

Papyrianus] Hic dicitur Papyrius p. 127. Nota est autem nominis varietas. MAIVS. Immo differt hic Papyrianus ab illo Papyrio. Papyrianus enim revera Grammaticus est, quem ea attingunt, quae superiori loco Maius contulit. Pluribus locis eius orthographiae mentio in Prisciano fit, ex quibus solis si Tortellium *de Orthographia*, apud quem repetuntur, profecisse diceres, ingentem scriptori lectionis multae, qualis est Tortellius, iniuriam faceres. Nam in exordio eius operis, ubi de orthographia litterarum et syllabarum proprie agitur, Papyriani auctoritas quovis fere folio non solum advocatur, (quae loca, quum innumerabilia sint, designare taedet) sed nonnunquam singuli quoque eius orthographiae libri citantur, veluti tertius fol. 3. b., secundus fol. 4. a., quartus fol. 7. a. et 22. a., ita ut si non integro Papyriani opere, certe locupletissimis eius fragmentis, quae nunc interierunt, Tortellium usum esse necessario statuendum sit. Quod auctor ipse in Prooemio ad Nicolaum V pontificem declarasse videtur, quum fol. 1. b. ita scribit: »Accepimusque haec primum ex fragmentis decem librorum Papyriani, quos de orthographia scripsit.« Eosdem de orthographia Papyriani libros citat Priscianus I. p. 554. XII. p. 948. et p. 556 (ubi Papyriano sicuti apud Apuleium Plinius iungitur) et X. p. 881. Excerpta quaedam dat Cassiodorus in Orthographiae libello cap. 4. Qua

aetate vixerit, accurate non constat. Quare quum, si non recentissimus, tamen non antiquissimus auctor fuerit, scripturam nominis *Papyriani* immutatam toleravi, quippe quae recentioris est aetatis: v. ad §. 1. Quae autem Krehlii est in edendo Prisciano inconstantia, modo hanc modo illam scribendi formam in eodem homine locis laudatis sequentis! Caeterum Papyriani huius, vel Papyrii fuisse videtur *liber de analogia* unus, *Papirii* nomine citatus, quem codex saeculo adhuc X servabat Bibliothecae Bobbiensis, testante eius Bibl. Catalogo, qui saec. X confectus dicitur, edito a Muratorio Antiq. Ital. medii aevi Tom. 3. p. 820. Hic igitur Papirii de analogia liber si etiamtum inter vivos erat, quidni de orthographiae libris idem praedicare liceat, ut iis Tortellius integris uti potuerit? Et fortasse ille certe in aliquo bibliothecarum Vaticanae, vel Neapolitanae, vel Turinensis vel etiam Vindobonensis recessu delitescit, quippe quo Bobbienses codices varia fortuna abiisse traduntur.

Plinius] Intellige Plinium seniorem in libris deperditis de grammatica. Et quidem Plinio tribuitur in pervetere codice neapolitano, olim bobiensi, opusculum illud grammaticum de differentiis vocabulorum, quod vulgo Frontoni adscribitur. MAIVS. De Plinii scriptis grammaticis vide infra §. 63.

§. 8.

hya] Notemus quonam nomine veteres litteram *y* appellarent. Quamquam infra voc. *adytum* appellatur ypsilon. MAĬVS. De *hya*, quod saepissime infra recurrit, vide Grammaticorum veterum loca a Seyferto *Lateinische Sprachlehre* T. I. §. 162 — 170 diligenter collecta, quibus collatis quum manifeste pateat, ex Grammaticis veteribus permultos fuisse, qui *hya* iuxta alterum litterae *ypsilon* nomen dicerent,

non video quid Leopoldum Schneiderum commoverit, ut in Grammatica Latina I, 1, p. 3. illud *hya* utpote errore natum proscripserit omnino. Immo id aliquoties suspicor in veterum scriptis adhuc oblitteratum delitescere, veluti in Servii Aen. I, 744 verbis: *Alii dicunt* Hyadas *dictas ab* y *litera*, ubi certum Grammaticum *hya* animo habuisse, idque sine dubio scripto expressisse.

proverbium] Vide Suidam v. *Δωδωναῖον χαλκεῖον*, ubi Aristotelis auctoritas pariter atque in nostro loco profertur. Liceat hinc in aliena vineta irruere ac Pauli apostoli locum retractare quamvis tritissimum, necdum tamen, si fas est dicere, accurate explicitum. I Epist. ad Corinth. XIII, 1. *Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ καὶ τῶν ἀγγέλων, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον.* Quantumvis enim ex Rosenmülleri Scholiis ad h. l. intelligo, interpretes in vocabulo *χαλκὸς* de tuba interpretando plurimum convenerunt: quam explicandi rationem tamdiu reiiciendam putabo, quam de hac v. *χαλκὸς* significatione non accuratius liquebit. Nemodum tamen huius usus exemplum attulit idoneum. Praeterea si de *tuba* intellexeris, haud satis apte appositum est *ἠχῶν*, quum contra debuisset secundum vulgarem consuetudinem *φθεγγόμενος* vel *φωνῶν*. Sic enim usus fert: Xenoph. Anab. IV, 2, 7. V, 2, 14. *ἡ σάλπιγξ ἐφθέγξατο.* Philostrat. Heroic. p. 673. ed. Olear. *φθέγγεται δὲ γεγωνότερον ἢ αἱ σάλπιγγες.* Chrysostomus in Eutrop. p. 354. ed. Auger. *σάλπιγγος λαμπροτέραν φωνὴν διὰ πραγμάτων ἀφείς.* Porro de tuba *ἀναβοᾶν* dixit Polybius XV, 12, 2. Ad huius tamen noli provocare II, 29, 6: *τηλικαύτην καὶ τοιαύτην συνέβαινε γενέσθαι κραυγήν, ὥστε μὴ μόνον τὰς σάλπιγγας καὶ τὰς δυνάμεις, ἀλλὰ καὶ τοὺς παρακειμένους τόπους συνηχοῦντας, ἐξ αὑτῶν δοκεῖν προΐεσθαι φωνήν*: sunt enim haec aliena a nostra re.

Haec quum iustam de tralatitia v. *χαλκὸς* explicandi ratione suspicionem moveant, haud longe aberrare me crediderim, si voce *χαλκὸς* vas aheneum, aere adflante sonum edens intelligi, idque quidem Dodoneum dicam, quod in proverbium abiisse de homine inaniter garriente, in confesso est: ac de hoc aere proprie *ἠχεῖν* dictum: v. loca a nobis apposita in Auctar. Lex. Gr. p. 14.

tintinabulum] Auctor dialogi de causs. corr. eloq. c. 26. *tinnitus* Gallionis rhetoris et Quintilianus II, 3. *tinnulos* oratores perstringit.

tympanum mundi] Respexit Noster, ut videtur, illa Plinii H. N. praefatione: *Apion quidem Grammaticus, hic quem Tiberius Caesar cymbalum mundi vocabat, quum publicae famae tympanum potius videri posset.* Quintilianus V, 12 extremo: *tympana eloquentiae.* Simili metaphora Graeci *κρότος, κρόταλον, κώδων* et *σάλπιγξ* dixerunt. V. Ernesti Lex. rhet. Graec. p. 190. 191. seq. Boissonad. ad Philostr. Her. p. 377.

Menandro] Cod. *Maenandro,* quod exhibuit Maius. Tam falsa enim haec nominis scriptura, quam *Lacaedemonii* in Ciceronis libro II de R. P. cap. 23 et 28. ubi Maius pariter toleravit. Menandri locus est in *Ἀῤῥηφόρῳ* eius: vide Fragmenta a Meinekio collecta p. 27.

Xenophonte] An respicit Noster Simonem apud Xenoph. de re equestr. I, 3 *ὥσπερ γὰρ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή.*

Caecilio] Ipsum hunc Comici locum, nisi fallor, Nonius II, 505 v. *licitari* servavit, unde Bothius Poetar. Lat. scen. Vol. V. P. II. p. 135 hoc modo apposuit:

— *Quae narrare inepti est ferventis scutras,*
Quin machaera licitari adversum aeneum coepisti sciens?

Sensu videlicet hoc: frustra esse, si gladio adversus declamatorem licitari, h. e. ipso Nonio interpretante,

pugnare sive congredi velles. Sic enim istis verbis subobscuris lux demum accenditur. Hoc tamen non silendum, in duabus editionibus, quibus utor, Mercerii et Godofredi *aeneum* non exstare, verum eius loco *eum*: atque sic etiam codex Guelpherbytanus supra a me laudatus. Palmariam autem hanc dixerim emendationem, si absque codicum ope inventa ingenio debeatur.

Suda] Ita multi scribere malunt quam *Suidam*. Intellige autem non recentiorem lexicographum, sed antiquum historicum cuius apud auctores haud rara mentio est. MAIVS. Neutrum equidem intelligo, ipso auctorum citatorum ordine manifeste prodente nonnisi Latinum scriptorem post Caecilium Pliniumque sequi posse. In promptu est legere *Sura*, quam facillimam admodum coniecturam vix me retinui quin in textu ederem, quamvis nunc non inquisiturus, utrum idem Mallius Sura iuris consultus sit, in quem facetum Domitii Afri dictum Quintilianus binis locis refert, V, 3, 54 et XI, 3, 126. ubi vide intpp., an Calpurnius Sura Grammaticus, de quo vide veterem Persii vitam.

Lupus Anilus] Infra *Anilius*. Quin etiam infra occurrit Lupus siculus. MAIVS. Vide ad calcem libelli.

Vranium] Poeta sine dubio hic est. Ceteroqui et vanus philosophus atque loquax Vranius improbatur apud Agathiam lib. II circa finem. MAIVS. Sunt et alii Vranii. Quandoquidem autem Lupus, de quo vide infra ad calcem harum annotationum, aemulum suum dicit Vranium, vide numquid valeat coniectura nostra, *Vranii* loco *Turranium* illum ponendum esse, cuius *Helene* §. 5 citata est. Etenim Lupi *Helene* tragoedia §. ultima occurrit.

§. 9.

Anius Virgilianus] Aen. III, 80. MAIVS. Recte Apuleius: vide Ovid. Met. XIII, 632. De hoc Anio vide Servium et supra annotata ad §. 4.

Ananius] Ananius poeta iambicus apud Athenaeum. Sicque legendum est pro *Anania* etiam apud Lycophronis scholiasten. MAIVS. Contra ego ita statuo, aliam ab Anio diversam personam non laudari, sed eundem ipsum Anium, quippe quem Zeno et reliqui auctores citati *Ananium* dicere maluerint. Quod ut credam facit Stephani Byz. ab ipso Apuleio hanc in rem provocati testimonium his verbis conceptum: *Ἄνδρος, νῆσος μία τῶν Κυκλάδων, ἐκλήθη ἀπὸ Ἄνδρου τοῦ Εὐρυμάχου, ἢ τοῦ Ἀνανίου ἀδελφοῦ, τοῦ πατρὸς τῶν Οἰνοτρόπων.* Scilicet sic veteres libri, cuius loco ex codd. Palat. et Voss. nunc reductum *Ἀνίου*, quod quanto magis olim a V. D. utpote verissima lectio commendatum fuit, tanto firmiori nunc Apuleii testimonio repellitur. Etenim in MSS. *Ἀνιου* compendiose pro *Ἀνανίου* scriptum suspicor. His pro vero positis, in Apuleii contextu *item*, quod Maius ex codice edidit, in *idem* mutavi.

Zenoni grammatico] De Zenone grammatico Laertius VII, 35, ibique Casaubonus et Menagius. MAIVS. Adde Bekkeri Anecd. Gr. T. II. p. 663. Etym. M. p. 590, 44. *Zenonem* Homeri criticum Proclo Vita Homeri p. 11 pro *Xenone* Sturzius nuper ad Hellanicum p. 156 vindicare studuit: quam recte, tunc dicetur quum quae Thierschius Actis Philol. Monac. Vol. II. Fasc. IV. p. 578. seq. de Procli loco commentus est, adhibito Anecdoto egregio, Romae a me reperto, accuratius examinabo.

Philemo] Num pro *Philemoni*? MAIVS. Haec si recte habent, intelligendus is Philemo Aexonensis,

qui *Critici* titulo cohonestatus fuit: de quo vide ad Philem. Lex. techn. p. VI. seq.

Stephano] Stephan. byzant. v. Ἄνδρος. Quamquam vero Stephani aetas paulo incertior est; hinc tamen cognoscimus, Apuleium nostrum non esse Stephano vetustiorem. Certe illo Apuleio grammatico cuius mentio fit apud Suetonium noster recentior est. MAIVS.

Marciano] Dubitare licet, utrum auctor intelligat Marcianum grammaticum, qui Valentis imp. filias docuit (Socrat. hist. IIII, 9); an heracleotam geographum vel etiam historicum. MAIVS.

Methymio] De hoc quaerendum. MAIVS. Equidem nil reperi: neque fortasse longius quaerere operae pretium. Quid enim, si legas *Methymnio* scilicet ad Marcianum relatum. De forma *Methymnius* pro *Methymnaeus* vide ad §. 10.

Quintus Trinacrius] Ovid. *Trinacriusque suae Perseidos auctor*. MAIVS. Apuleii testimonio omnis dubitatio, qua editores Ovidii Trinacrii nomen prosequuti sunt, nunc sublata est. Quin etiam *Trinacriae* nomen mihi videor reperire in vitiosa hac Gruteri inscriptione p. DCCLV, 9

ANTONIVS. TR
INIACRE. VXORI P

Infra noster recurrit §. 62.

Marius] Ovid. *et Marius scripti dexter in omne genus*. MAIVS. Operae fortasse pretium erit quaerere, an hic Marius, de quo aliunde nihil liquet, idem sit, cuius distichon *Darii* nomine citatur a vetere Boessii nterprete Ovidii Ibid. 337.

§. 10.

Lemulcatus] Ita cod. heic et infra. Ego vero magnopere suspicor scribendum esse *lemniscatus*: vel po-

tius *lemniscata*: namque adiectivam formam usurpant Cicero et Tertullianus. Nihilominus insignis est hic Apuleii locus ad sensum praedicti vocabuli declarandum. MAIVS. Recte sine dubio V. cl. de reponendo *lemniscata* monuit. Ciceronis locus est Orat. pro Rosc. Am. 35: *multas esse infames palmas: hanc primam esse tamen lemniscatam, quae Roma deferatur.* Ad quem locum v. Menardi et Hottomanni scholia. *Coronas lemniscatas* memorat Servius Aen. V, 269. Idem VI, 712: *Aliae* [coronae] *agonales, id est, lemniscatae.* De coronis his athletarum praecipue propriis cf. Heinrich. ad Hesiodi Scut. 95 et Ephem. litt. Ienens. a. 1803. Tom. IV. p. IV. Ornabantur autem iis etiam privati homines: vide Wolf. ad Plat. Symp. 30, 3. p. 96. et Columm. ad Ennii fragm. p. 231. ed. Hessel.

Titinius] Titinii fragmenta comoediarum aliquot supersunt a grammaticis delibata. MAIVS. Magis ad rem fuisset Titinii haec comparare a Nonio v. *frontem* allata: *quasi hermaphroditus, frontem fimbriatum gestas.*

quoius] Ita mihi videor compendium vocabuli legere. MAIVS.

Thrasylione] Ita cod. pro *Thrasileone.* MAIVS. Quod suscepimus. Facta Latine haec fabula ex Graeca Menandri Θρασυλέων.

exurere] Huc usque extabat Turpilii locus apud Nonium voc. *turba.* MAIVS. Sunt senarii duo iambici in metrum facillime cogendi: de sequentibus ego quidem desperavi.

festra] Ita cod. Etsi Festus atque Petronius [Wernsdorf. Poet. Lat. Min. T. III. p. 73.] feminino genere efferunt. Festo quidem est *fenestra;* sed *ostiolum minusculum in sacrario* Macrobio; de qua voce disputaverat Ant. Gnifo, quem grammaticum Cicero audivit. MAIVS. V. Macrob. III, 12. In textu posui *festras*, quod necesse videbatur: *festrum* enim, quod

nos sciamus, nemo dixit. Ex hoc autem Turpilii loco patet quam vera sint quae Bentleius ad Terent. Heaut. 3, 1, 72 de forma *festra* priscis Romanorum poetis loco recentioris *fenestra* restituenda praecepit.

Rabirius] Ovid. *magnique Rabirius oris.* MAIVS. Plura Spaldingius ad Quintil. X, 1, 90. Herculan. Volum. II. p. XIII. Senec. de benefic. VI, 3. Est autem is, qui bellum Achaicum carmine persequutus est. An idem, e cuius Satyra Fulgentius Expos. sermon. antiq. p. 183. ed. Munker. hunc versum servavit:

Abstemium merulenta fugit Methenia nomen.

Pro *Methenia*, quod nihili est, lege *Methymnia*; quamvis Latinis vulgare sit *Methymnaeus* dicere: vide tamen ad §. 9. De virtute vini Methymnaei vide Burm. ad Prop. IV, 8, 37.

§. 11.

in latino] Cod. . *i. latino.* MAIVS. Quae de Aeschylo Noster tradit, Pausaniae testimonio confirmantur I, 28: *πρῶτός σφισιν Αἰσχύλος δράκοντας ἐποίησεν ὁμοῦ ταῖς ἐν τῇ κεφαλῇ θριξὶν εἶναι.* Cf. Böttigeri *Furienmaske* p. 15.

Eudemum] Quisnam hic fuerit ex tot Eudemis, quos recenset Ionsius hist. phil. I, 15, non definio. Puto tamen eum esse, cuius lexicon laudat Suidas in praevio indice lexicographorum. MAIVS. Immo eum Peripateticum Eudemum intelligo, e cuius Theologumenis Damascius de principiis XIV in Wolfii Anecd. T. III. p. 256 placita de rerum principio a Nocte derivando citat: cui argumento origo Eumenidarum, cuius gratia Eudemum Noster in medium profert, admodum affinis est. Caeterum obiter iuvat Damascii locum laudatum tentare, apud quem vulgatum: *ἡ δὲ παρὰ τῷ Περιπατητικῷ εὐδήλως ἀναγεγραμμένη.* Videlicet pro *ΕΥΔΗΛΩΣ* lege *ΕΥ-*

ΔΗΜΩΙ. Ex Eudemi illius, quem Maius intelligit, Lexico nunc a me reperto Excerpta in Corpore Lexicorum Graec. ineditorum dabo.

Orpheus] Ita in cod. mutatur casus. MAIVS. Respicit Noster Orphei Hymn. LXIX, 8. et LXX, 2. 3. Herm.

Virgilius] Aen. VII, 327 de Alecto loquens *odit et ipse pater Pluton'-virgo sata nocte.* Tum 479. *cocytia virgo.* MAIVS.

Athenodorus] De Athenodoris item variis disputare non vacat. MAIVS.

Mnastes] Num pro *Mnasea*, cuius nominis grammaticum novimus in odyss. schol. XVIII, 84 et apud Fulgentium de prisco sermone? MAIVS. Procul dubio de scriptura nominis Editor recte monuit: *Mnasten* enim scriptorem non novi. Nempe eum Patarensem Mnaseam intelligo, cuius περιηγήσεως libri certe tres, etiam multifaria mythorum narratione stipati, citantur a Steph. Byz. v. Ἐγγελᾶνες. Singuli libri singulas terrae, ut videtur, partes complexi, peculiaribus nominibus laudantur, v. c. ἐν δευτέρῳ περὶ Ἀσίας. V. Athen. VIII. p. 331. 346. Praeterea eiusdem etiam περὶ Εὐρώπης tres memorantur libri. Cf. Maussac. ad Harpocrat. v. Ἱππία Ἀθηνᾶ. Schol. Apoll. Rh. I, 917. IV, 264. Steph. Byz. v. Ἄκανθος et Δάρδανος. Suidas v. Πραξιδίκη. Εὐρωπιακῶν nomine laudat Athenaeus IV. p. 158. Vide praeterea Schol. Pindari p. 99 et 236. ed. Steph. et Columellae XII, 4. Hanc Mnaseae *Europam* memorat Fulgentius v. *Vispillones*, ubi antea legebatur *Mnaseas in Cecrope libro*, cuius loco nunc *III Europae libro* repositum. Codex Parisiensis saeculo IX vel X scriptus, quem inspexi, *in Europae libro*, ut Leidensis quoque a Munckero collatus; scilicet IN natum ex III.

Varro] Festus v. *Erebus* p. 131. ed. Dacer. *Varro vero Erebo natam noctem ait. Unde est et illud: Erebo*

creata fuscis crinibus nox te invoco. Quamquam postremum octonarium trochaicum alius auctoris esse puto.

*§. 12.

Hoc loco in codice scripta erant sequentia, mox ibidem, ut aliena vel spuria, deleta fuerant. MAIVS. Apuleii putarim, quamvis errore scribae hunc in locum perperam translata.

Primus docuit vinum aqua misceri] Contra Athenaeus II, 6. p. 45. D. *Στάφυλος δέ φησι τὴν τοῦ οἴνου κρᾶσιν Μελάμποδα πρῶτον εὑρεῖν*, quo auctore, ut videtur, usus Coelius Rhodig. Lect. antiq. VII, 15 dicit: »Staphylus vini temperamentum Melampodi adscribit.« Qui Staphylus diversus haud esse videtur a scriptore Arcadicorum (de quo vide Sext. Emp. p. 272 ibique Fabricium) et Thessalicorum (v. Schol. Apollon. Rhod. I, 580. IV, 816). Praeterea mythographi nomine citat Clemens Alex. Protrept. p. 24. B. ed. Sylb.

Plinius] Hist. VII, 56. MAIVS.

Sallustius] Quisnam hic e tot Sallustiis? MAIVS. Fortasse medicus ille Sallustius Dionysius, cuius medicamentum ad rem alimentariam pertinens meminit Plinius XXXII, 26.

Democrito] In opere de agricultura, quod iamdiu vixit. MAIVS.

.i. a.m.u.] Nempe *inventis acheloia miscuit uvis*, Georg. I, 9. MAIVS. De compendiis verborum litteris initialibus tantum expressis supra monitum est.

Donato Proboque testibus] Exstat Probi testimonium. Donati tamen curae ad Georg. iamdiu vixerunt, sed pro eo superest hoc loco par Servii auctoritas. MAIVS. *Circa hunc*, inquit Servius, *Staphylus, Oenei pastor cum animadverteret, ex capris unam esse pinguissimam, intellexit id pabuli libertate* [an *uber-*

tale?] fieri: secutus itaque eandem, cum vidisset uvis vesci; admiratus et novitatem et dulcedinem, decerptum fructum protulit regi, qui cum liquorem expressisset, a suo nomine vocavit oenon, ab inventore staphylen. Caeterum allatas Probi et Donati auctoritates Maius Praef. p. LXXVIII *νοθείας* obelo configendas ideo censebat, quod Apuleio utrumque recentiorem putaret. Sed falso, ut in Praefatione demonstravi.

filius Bacchi ex Ariadna] Idem tradit Schol. Apollon. Rh. III, 997. Sileni filius audit apud Plinium l. c.

Plutarcho] In Theseo cap. XX. MAIVS.

Dione] Vereor ne *Diodoro* scribendum sit. Hic enim V, 62 quamquam Staphyli parentes tacet, Staphyli eiusque filii Anii fabulas copiose pertractat.

Luciano] Confer Deor. D. XVIII; de salt. XL. Deor. concil. V. MAIVS. *Barbatum philosophum* Luciani equidem non novi.

metamorphoseon] Lib. X, 450. MAIVS. Sed hoc notandum, neque Luciani neque Ovidii testimoniis quidquam de Staphylo tradi, aut solam Icarii eiusque filiae Erigonae, aut huius cum Baccho coitum referentium. Neque Bacchi et Erigonae concubitu Staphylum procreatum esse alio ullo loco annotatum reperi, quamquam haec *uvae* generatio, utpote reliquis fabulis de Baccho et Icario traditis valde consentanea, procul dubio satis antiqua poetisque deperditis frequentata fuit. Vide Schol. Ven. Iliad. X, 29. Heynii Obs. in Apollod. p. 330. De Erigona multo diversa tradit Scholiasta Germanici in Arati Phaenom. T. II. p. 44. ed. Buhle.

Linus — Bacchi amicum] Scholiasta Pluti 1022, ubi vide Hemsterh. *Ἐπεὶ ἐν Θάσῳ ᾤκει Στάφυλος ὁ ἐρώμενος Διονύσου*, quae verba hinc sua fecit Suidas v. *ἐνέχεις*. Ex hoc igitur Apuleii loco constat, Scholia vetera Aristophanis, quae vulgo feran-

tur, si minus integra Lini scripta sunt, certe ex eius commentariis in Aristophanem conflata esse: de qua re amplius conquirendum. Linum historiarum scriptorem memorant Steph. Byz. v. *Οἰχαλία* et Censorinus de die natali c. XVIII.

Grynicus] Non puto Latinum nomen esse, nedum Graecum. An *Phrynichus*, fortasse in *Σατύροις*, cuius fabulae mentio apud Athenaeum p. 87. A?

§. 13.

apud priscos .t. inveniatur] Quintilianus I, 4, 16. *Quid T litterae cum D quaedam cognatio? Quare minus mirum si in vetustis operibus urbis nostrae et celebribus templis legantur Alexanter et Cassantra.* De hac utriusque litterae cognatione vide Columnam ad Ennium p. 13. ed. Hessel. et qui totum hunc locum copiose tractavit, Conradum Leop. Schneiderum *Ausführliche Gramm. d. Lat. Sprache* I, 1. p. 251. seq.

adque] Hoc ipsum offerunt lapides Gruteri p. CCCXXXVII. CCCCXII, 3 et 4, quos tamen haud diffitendum esse recentissimae aetatis. Porro hanc scripturam codex vetustissimus Ciceronis de re publica passim offert, quam Niebuhrius in *Conspectu orthographiae codicis Vaticani* quum manifestum mendum vocat, parum circumspecte egit. Pariter *ad* pro *at*, *adque*, *adquin* in codice Vaticano Iuris civilis Anteiustinianei exstare monuit Maius p. 115. cf. ibi p. 27. 85. 102. Denique ipse Niebuhrius ex codice circa saec. V scripto in Merobaudis oratione p. 6. *adque* edidit. Quid? Antiqua iam fuit Achillis Statii observatio ad Catulli carm. de Acme et Septimio p. 130 ita loquentis: » At Acme] In manuscriptis, Ad hanc me, et, Ad haec me. id factum, quod indocti homines nescirent veteres, Ad, pro, At, etiam posuisse. Sic in perveteri libro Vaticanae Bibliothecae. in quo excerpta ex

historiis Sallusti, in oratione Cottae Cos. Ad contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere.« Sallustii locus exstat in ed. Thysii p. 465: recentiores editores an libri Vaticani lectionem adverterint, nunc non vacat explorare. Sed tam haec quam quae Noster statim de *at* et *ad* pro *ac* antique positis monet, digna sunt, quae a Grammaticis accuratius explorentur. Huius autem usus nullum adhuc observavi exemplum.

monumenta] Cod. *mo.* cum apocopes signo. MAIVS.

Plinio auctore] Cod. *Pl. auct.* MAIVS. Libris, ut videtur, dubii sermonis, a Grammaticis aliquoties allatis.

§. 14.

Homero] Odyss. δ, 385. Virgilii locus exstat Georg. IV, 404.

notissimum est, in varias formas ut vertebatur] Num pro *ut notissimum — vertebatur?* MAIVS. Recte, idque in textum recepi.

Lucianum] Encom. Demosth. XXIIII. MAIVS. Plutarchi et interpretis Aristophanis locos modo laudatos invenire non contigit.

Horatius] Epist. I, 1, 90. MAIVS.

Varro] Vide supra ad §. 1.

§. 15.

Olympius sive Olympus] Merae nugae: deceptus enim fuit Noster antiqua genitivi forma in *i* pro *ii* desinentis. Virgilii locus est Aen. X, 1.

antro] Cod. *nano.* Sed rectius legebat *antro* Caelius rhodiginus, ut habes in eius testimoniis [p. LXXV Praefationis Maii]. MAIVS.

Melene] Cod. *My*[*la*\..*e*]*u Melene.* Martialis VII, 29, 8: *nota tamen Marsi fusca Melaenis erit.* MAIVS. Ab amasia sua Melaenide Domitius Marsus Maronis aequalis carmen inscripsit, cuius praeterea non video

mentionem fieri ullam. Reddidi Maii lectionem, nisi quod *Melaene* certe scribendum putavi, quamquam *Melaenide* exspectassem. Illam tamen scripturam nonnihil Caecilii Statii*) comoedia *Melaene* munit, a Fulgentio v. *capularis* citata. Caeterum fabellas Marsus scripsit, quarum librum nonum Charisius I. p. 55 laudat. Ex Domitii *Cicuta* tria disticha affert Philargyrius ad Virg. Eclog. III, 90. Alia fragmenta Suetonius de ill. gramm. X et XVII. Plura de hoc poeta, cuius epigramma exstat integrum perelegans ad calcem Tibulli Elegiarum, ubi vide Brouckhusium, contulit Spaldingius ad Quintil. III, 1, 18. Duobus etiam locis Marsi meminerunt Diomedes et Priscianus Grammatici. Denique Marsum iuxta Virgilium memorat Martialis VIII, 56, qui etiam *Amazonidem* eius IV, 29 laudat. Praeterea vide ad §. 43.

Aristophanes] Alium non novi poetae locum nisi quo Pericles *Οὐλύμπιος* dicitur, Acharn. 535.

Laevius] Confidenter ita pro *Naevius* rescripsi, quod Maius Codicem sequutus edidit. Eorum enim, quae de usu versus heroici apud Latinos in Anal. crit. cap. II. posui, tanto minus poenituit, quanto eandem fere sententiam persuasisse mihi videar Lan-

*) Bothius, qui hanc comoediam in Poet. Lat. scen. Vol. V. Part. II. p. 273 profert, quum Flacco Tibulo eam tribueret, quid cogitarit, tanto minus intelligo, quanto in Nonii Merceriana editione altera, qua utor, Caecilius Statius comoediae auctor aperte nominatur. Nec tamen aliam notitiae suae auctoritatem Bothius attulit quam Mercerii Nonium, cui, uti constat, subiunctus est Fulgentii libellus. Etiam magis autem Bothium miratus sum in fragmento huius comoediae *Tune amare audes edentule et capularis senex* pro *capularis*, cuius vocabuli gratia hoc ipsum fragmentum admovetur, *ecapillaris* legi iubentem, quae vox omni destituitur auctoritate. Contra *capulares* senes passim Comicis dicuntur. V. Plauti Mil. III, 1, 33. Idem Asin. V, 2, 42 de sene *capuli decus*. *Capularis* Servio ad Aen. VI, 222 explicatur capulo vicinus.

gio in *Vindiciis tragoediae Romanae* p. 10, hanc legem saltem constituenti, »ubi de hexametris sermo sit, non Livii (Andronici), ubi de tragicis, neque Novii neque Laevii nomen poni licere, nisi ipsum iam scriptorem errare putes.« Neque me coniectando falli crediderim, si hexametrum illum Naevii nomine ab Apuleio excitatum ex Laevii potius Iliade Cypria sumptum esse dicam, de qua vide l. c. p. 38. Ridiculum enim videtur, quod Bothius, ut ante Ennium iam Livium Andronicum versu heroico usum esse demonstret, argumentum proposuit, quo totam de versibus illis tribus heroicis ex Livii Odyssea citatis quaestionem scilicet componere studet. »Equidem Livium Andronicum, inquit in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. I. p. 15, initio versum Homericum usurpasse in vertenda Odyssea suspicor; mox autem, sive operis difficultate deterritum, sive plebis Romanorum alliciendae gratia, quae plebs rudior, ut ea aetate, non capiebat perfectissimos numeros, consilio mutato in populari tum genere Saturniorum versuum substitisse.« Quis enim auctor tam absurdus vel laudis apud populares tam parum studiosus fuerit, ut, tale opus dimidiatum Graecum et Latinum plebi placere posse, in animum sibi induceret? Quippe odium dum peregrinorum numerorum abstergeret, id ipsum propter hybridarum et popularium insulsam confusionem excitaturus atque aucturus esset. Si alia non obtendantur argumenta hoc firmiora, de mea sententia ne digitum quidem recedam, quippe persuasus, totam de heroicorum usu apud Latinos quaestionem faciliori alio modo absolvi non posse nisi eo quem indicavi, nempe ut quae ferantur fragmenta Livii et Naevii hexametris concepta nominum permutatione Laevio adscribantur, quae quo est tralatitior, eo magis fit sententia mea probabilior. Neque si Laevium pro Naevio mecum assumas, illum Virgilio in condendo primo

Aen. X versu ob oculos versatum esse, tanto minus mirum, quantum ex Macrob. Sat. VI, 1 et 2 abunde de Virgilii imitatione priscorum poetarum liqueat. Caeterum de versu illo sive Naevii sive Laevii valde memorabile est Ursini ad Virg. l. c. iudicium, quippe monentis, Virgilium sua ex Naevio hausisse, cuius versum vel etiam talem apponit, qualis apud Apuleium exstat: unde merito Ursinum coniicias, rem suam si non ex Caelio Rhodigino sumpsit, Apuleii codice manu scripto usum fuisse. Ille autem ita Lect. antiq. XX, 13: *Scribit Caecilius Minutianus Apuleius, Olympum etiam dici Iovem; unde Naevius:*

panditur interea domus altitonantis Olympi.

Ex quo Virgilius omnipotentis Olympi. Quod si est, falluntur qui legendum arbitrantur omnipatentis Olympi. Nam et Ennius ait: decessit Olympius antro. Quid? quod Erythraeus in Virgiliano Indice v. *Omnipotentis* ad moto Naevii (sic) versu Caecilii huius Minutiani Apuleii auctoritatem provocat. Caeterum illum versum ex Iliad. Θ, 2. 3 sumptum esse, Ursinus probabiliter monuit. Laevii, ad quem verbo recurro, nomen obiter moneo nuper ab Hermanno Praef. ad Euripidis Alcestidem pro *Ennii* coniectura quamvis audaci Planciadi Fulgentio v. *friguttire* restitutum esse: quod ideo affero, quod quum eandem ante hos decem annos praeposuissem in Anal. Crit. p. 8, ea temeritatis nomine a Langio *Vindiciis tragoediae Romanae* p. 10 iugulata nuper sit.

Diodorus] Hist. III, 72. Iam hunc quoque Apuleii locum legebat Caelius rhodiginus, qui post verba (in praef. mea p. LXXV) *decessit olympius antro* prosequitur sic: *auctor quin etiam Diodorus est Iovem esse olympium cognominatum ab olympo praefecto, abs quo ingenii cultum acceperit. Sed et deos, qui opem adversus gigantas tulissent, olympios appellari voluit, nec non Dionysium Herculemque.* MAIVS.

hζ] Ita lego in cod. Paulo tamen incertius est, utrum sit ζ graeca littera, an quodvis similis formae signum. MAIVS.

Tuscus] Ovid. *quique sua nomen Phyllide Tuscus habet.* MAIVS. Ad quem locum v. Burmannum. Utrum suam amasiam Phyllidem Tuscus carmine prosequutus sit, an Demophoontis Atheniensis, quem tanto deperibat amore, ut quum ab eo se spretam crederet, laqueo vitam finiverit, non satis liquet. Quod enim Apuleius *Phyllidis suae* scribat, hoc non magnopere urserim. Contra decantatissima poetis fuit illa Phyllidis Thraciae in amygdalum sine foliis conversae fabula, quae commodum poematis argumentum sistere potuit. Vide Ovid. Heroid. I. ibiq. intpp. Coluth. 208. seq. Serv. ad Virg. Ecl. V, 10. Muncker. ad Hygin. fab. LIX. Sin vero alteram Phyllidem tueare, non desunt huius nominis exempla, haud prorsus, ut videtur, a poetis ficta: qualis est illa Phyllis, quam Horatius ad obeunda natalitia sua in rus invitat Od. IV, 11. Porro cf. Virg. Ecl. III, 78. Sueton. Domit. XVII. et lapides.

§. 16.

Pyrrhus] Prisci tamen *Burrus:* vide Anal. crit. p. 12. ubi quod post Schopenius de scriptura Terentiani servi *Burriae* in Diss. de Terentio ac Donato p. 21 primus sibi videtur monuisse, dudum monitum erat.

pedis sinistri] Plutarchus in eius vita cap. III dicit *τῳ δεξιῷ ποδί.* MAIVS. *Λέγεται δὲ,* inquit Plutarchus, *τοῦ ποδὸς ἐκείνου τὸν μείζονα δάκτυλον ἔχειν δύναμιν θείαν, ὥστε μετὰ τὴν τελευτὴν, τοῦ λοιποῦ σώματος κατακαέντος, ἀπαθῆ καὶ ἄθικτον ὑπὸ τοῦ πυρὸς εὑρεθῆναι.*

poeta] Cod. *poetae:* Supple autem *auctoribus* vel *testibus.* MAIVS. Immo *poetae* recte habere censeo, modo eo relegetur, unde provenit, videlicet mar-

gine. Glossam enim esse suspicor, quam ineptus scriba nominibus *Herophilo Polignoque*, quippe quos poetas falso credebat, nominativo margini allevit, unde deinde textum invasit. Vix enim poetae sint, quos esse historiae scriptores exspectaveris. Herophilum non novi. *Poligni* autem nomen in historia graeca adhuc inauditum. Quare haudquaquam dubito, quin *Poligno* potius *Polybium* substituam: quam correctionem fragmentum Polybii a Suida servatum (in Schweighaeuseri editione T. V. p. 78) mirifice firmat, quo quod de Pyrrhi irruptione in agrum Argivum generatim narratur, Apuleii iam mentione egregie suppleri potest. Narratio de morte Pyrrhi, quem mulier Argiva in tecto stans tegula petiit, copiosa exstat apud Plutarchum cap. XXXIV. Conf. Servium ad Aen. III, 332. Si tamen *Polignus* Romanus auctor est, certe scribendum *Pelignus*, quod nomen exstat in lapidibus Gruteri p. CC, 6 et CDLXXV, 4. Illud usus Latinus non agnoscit.

Pausania] Attic. cap. XIII, ubi citat ipsum Leuceam poetam, qui res argolicas carmine scripsit. MAIVS. Posset etiam ad hunc Leuceam glossa illa *poeta* pertinuisse.

Trogo] Non exstat loci et mulieris mentio apud breviatorem Iustinum XXV, 5. Sallustii quoque et Lucei narrationes perierunt. MAIVS. Pyrrhi tamen mentio fit in Sallustii fragm. editionis a Thysio curatae alterius p. 388. Luceium alium non novi quam oratorem, cuius orationes in Catilinam memorat Asconius Pedianus in Cic. p. 151. ed. a. 1644.

Illius] Nempe Pyrrhi hoc nomine tertii. MAIVS.

Cadmus] Non invenio hunc Cadmum in molossici regni stemmate quod Reineccius confecit. Id tamen valde esse imperfectum, iam docui in adnotationibus ad Iulium Valerium. Ceteroqui Cadmia soror fuit

Neoptolemi. Porro in codice post voc. *princeps* scribitur *Mamnesius*, tum deletur. MAIVS.

Crispus] *Crispum quendam antiquum rhetorem* Seneca Controv. XIX. fin. memorat. Passim etiam eius mentio apud philosophum Senecam.

Naso] Ovid. in Ib. v. 305.

nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant,
sparsa per ambracias quae iacuere vias.

MAIVS.

Camerinus] Ovid. *quique canit domitam Camerinus ab Hercule Troiam.* MAIVS. *Camerinus* quidam in Fastis Capitolinis occurrit: v. Grut. p. CCXCV.

§. 17.

Coiux etc.] Hac §. Caelius Lect. antiq. XVI, 24 iam usus erat.

coniuxs] Nempe *coiux*, ut in lapidibus romanis observo. Contra *coniunx* in aliquot priscis codd. Lege Scaurum in Putsch. p. 2256. MAIVS. Illud tamen rarius in lapidibus. Capitolinus:

ΠΑΤΗΡ ΧΑΙΡΕ
D M S
AVRELDIOGENETI
SACERDOTIVENE
MERENTIFECIT
AVRELIACAENIS
COIVXCONOVEM
VIXITANNIS

Contra *coniunx*, quod etiam Apuleius infra agnoscit, frequentius: exhibet lapis in Sattleri *Geschichte des Herzogthums Würtemberg*, p. 144. Tab. III. et Schoepflini Museo T. I. p. 17 editus. Apud Grut. p. DXXIX, 2 exstat *coniuncx*. Immo haec scriptura, si minus *coniunx*, certe *coiunx* altera mihi videtur antiquior esse. Iuvat tamen hoc loco ea describere, quae Marquardus Gudius exemplari agrimensorum Lat. Parisiis

a. 1554 edito, quod penes me nunc est, margini ad pag. 104 *Anxurnae* adlevit, in nostram rem imprimis facientia: »*Axurnas* MS. Sic olim multas voces scribebant literula N saepe extrita atque omissa, ut *Eboresis* pro *Eborensis*, *Lugdunesis* pro *Lugdunensis*, *Castresis* pro *Castrensis*, *Thermesis*, *Nemoresis*, *Calliponesis*: item *coiux* pro *coniux*, *meses* pro *menses*, *masueta* pro *mansueta*, quae omnia in vetustis marmoribus non uno loco reperiuntur; idque non temere sed consulto factum esse, tot exempla alia facile ostendunt: certe *Axurnas*, quod in Msto est, similiter scriptum in numo C. Vibii Pansae AXVR, et in hac inscriptione inedita:

D. M.
M. CAERELLIVS. M. F. OVF.
GRATVS. AXVR. COL
EQVES. ROM. SIBI. ET
SVIS. HEREDIBVS. FECIT
IN. AGRO. APPI. FORI
IN. FR. P. XII. IN. AGRO. P. XVII

in via Appia, in loco vulgo dicto *alla Cliternia.*« Hactenus Gudius. De titulo, quem accuratius illustrare hic non attinet, hoc solum observo, in ultimo versu iungendum esse INFR. De numo, quem citat Gudius, vide Eckhel. T. V. p. 339.

Nam .x. non erat antiquissimum etc.] Communis haec plurimorum veterum Grammaticorum sententia fuit, quam Conradus Leop. Schneiderus *Ausführl. Lat. Gramm.* I, 1. p. 373. si eo refutare studet, quod littera X antiquior sit quam G, vehementer fallitur, quamvis hoc adversus Grammaticos illos recte animadvertat, *gs* antique pro X usurpatum non esse. Debuisset autem hoc adiicere, pro littera X adventitia Latinos, antequam a Graecis transumpta esset, constanti usu *cs* posuisse, sicuti et propter defectum litt. G in antiquiori lingua rei consentaneum est, et

a Servio Honorato p. 1801 ed. Putsch. vere traditum reperio, dum caeteri Grammatici, quorum loca diligenter Schneiderus l. c. congessit, etiam *gs* scriptum esse communi errore asserunt. *G* enim antiqui non ante Punicum bellum secundum adhibuerunt, uti Schneiderus l. c. p. 231. 270. recte demonstravit, eius loco *c* ponentes. V. Festum v. *Orchus*, quem locum Schneiderus neglexit, et Wolfium ad Fastos Praenestin. p. 351.

modo . ss . utebantur] Novum hoc est, ab alio ullo Grammatico veteri, quantumvis memini, non observatum. Atque certa duo tantummodo novi exempla, apud Grut. p. CCXCVIII, 4, ubi CONFLISSISSET pro CONFLIXISSET; alterum offert lapis in *Giornale Arcadico* 1821. Tom. XI. p. 230. editus:

FELICISSIME. TE. IN. PACE. QVI. VISSIS
ANNIS. IIII. MESSIS. VI. DIES. VIII
PACE. TIBI.

Haud absimile ESERCITV, quod titulus offert a Sicklero in Tiburis vicinia repertus ab eodemque in *Animadversionum in Horatii aliquot carmina specimine primo* (Hildburghusae 1813) editus p. IV, unde quod prolusio haec scholastica in pauciorum manus pervenisse videatur, repetendum duco:

L. MVNATIVS. PLANCVS
TIB. COS. IMP.
ITER. VIIVIR. EPVLON.
TRIVPH. EX. RAETIS
EX. TEMPLO. SATVRNI
ET. COSM. ESERCITV
IN. ITALIA. ET. GALLIA

Quae editor clarissimus ita interpretatur: *Lucius Munatius Plancus, Tiburtinus, Consul, Imperator, iterum*

septemvir epulonum, triumphans ex Rhaetis, ex templo Saturni et cosmittente exercitu in Italia et Gallia. Huius Planci praeterea mentio fit apud Scholiastam Horatii Sat. I, 1. p. 690. ed. Cruquii 1593, quod videtur Sicklerum latuisse. Porro fallitur vir doctissimus quum hunc Plancum una cum M. Lepido consulatum egisse narrat. Quum enim Plancus ille in titulo laudato utique idem sit, qui in altera inscriptione a Sicklero allata memoretur, in hac vero is *L. Munatius. L. F. L. N. L. Pron. Plancus* appelletur, non potest hic diversus esse ab eo L. Munatio Planco, qui cum C. Silio a. p. Chr. n. 13 consul fuit. Appellatur autem in Fastis apud Grut. p. CCXCV L. MVNATIVS. L. F. L. N. PLANCVS. Sigla scilicet haec interpretanda *Lucii filius Lucii nepos.* Namque tres erant Lucii Munatii. Plura de L. Munatio Planco Schoepflinus dabit Alsat. illustr. Tom. I. p. 152. seq. — Neque absimile est illud *ausilio* in Codicis Theodosiani fragmento post *Ius anteiustinianeum* a Maio p. 108 exhibito. In ipsius Iuris anteiust. fragmentis p. 76. exstat *auxcilio.* De geminata littera S pro X vide etiam Schneider. l. c. p. 354. *Vlysses* pro *Vlixes* positum Apuleius statim ipse advertit.

gregs] De hoc valde dubitandum: vellem Noster exemplo firmasset.

Vlysses] Hoc si Latine dictum est, procul dubio rarissimum fuit: nam constanti Latini usu *Vlixes* aut *Vlyxes.* Cf. Heusing. ad Cic. de Off. I, 31, 8. Grammaticorum loca congessit Schneiderus l. c. Adde Pompeium p. 110. ed. Lindem. *Ergo Vlixes totum Latinum est.* In Quintilian. I, 4, 16 *Vlixem* ex MSS. reducendum erat: nam de sola vocalium *O* et *V* cognatione et permutatione sermo ibi est.

vixsi] Ita Fronto ad M. Aurel. III, 13 *noxsit.* MAIVS.

vetustisque lapidibus Romanorum] Reapse eius-

modi scriptura in lapidibus urbanis adhuc visitur. MAIVS. En exempla. VICXSIT, Grut. p. DCLXXII, 2. MAXSIMVS, ibid. p. DCCCXCII, 10. *Memoires de l'Acad. des inscr.* T. III. p. 223. REXS, *Iscrizion. Alban.* p. 78. VXSOR, Lapis ap. Achill. Stat. ad Catulli Carm. de Acme et Septimio p. 128. SEXS, Lapis in *Kunstblatt* a. 1823. No. 85. p. 337. IVXSTA, ap. Letronne *Recherches pour servir à l'histoire de l'Égypte* p. 364. VIXSIT bis in lapide, quem Florentiae in aedibus Guiccardinis descripsi, his verbis concepto:

L. ARIENVS. CERDONIS
L. CELER. VIXSIT. ANNOS
XXV
PRIMIGENIA. CELERIS. F
VIXSIT. ANNOS. III

En alium Capitolinum, qui DEXSTRI:

D M
DEXSTRI CAESARIS SERVO
DIAETARCHO DOMVS AVG
TREBONIA LAVDICE ▹ E ▹ FEC
CONIV ▹ B ▹ M ▹ CVM DVABVS FILIS
FORTVNATA ET FELICE

Edidit quidem Gruterus p. DLXXVI: sed oblitterata hac ipsa vocis forma, cuius gratia titulum iterum cum lapide contuli. Capitolinus alius, quem alibi edam, EXSIMIVS. Nec denique hic tacenda scriptura Graeca Σέξστος passim obvia, de qua vide Schaefer. ad Schol. Apollon. Rhod. p. 232. Cf. Dio Cass. LXXI, 1. Addam denique titulum in *Giornale Arcadico* 1821. Tom. XI. p. 371 hoc modo editum:

LICINIVS. L. F
MAXSIMVS
CORNELIAE. P. F
VXSORI

Neque negligendum VICXIT in alio nuper effosso ibidemque in praecedenti pagina edito:

D. M.
NVNNVRICE
FILIE. DVLCISSI
ME. EPICTETVS

PATER. IN CONTRA
VOTVM. QVE VI
CXIT. ANNIS
. . . . .

. . . . . .

Quod versu quinto habes IN minoribus litteris exaratum, quid sit, cum editore Ludovico Nardo ignoro. An correctio est quadratarii? Non desunt exempla, in Sylloge inscriptionum passim observata. Sed nullus hic correctioni locus.

§. 18.

Vulcanus cum duplici .uu.] Contra M. Aurelius apud Frontonem scribit *Uolcanus*. MAIVS. Atque eodem prorsus modo tituli aliquot, vel etiam BOLCANVS exhibentes: vide Sicklerum *Ideen zu einem vulcanischen Erdglobus*, Weimar 1812. p. 9. Sic VOLCANALIBVS lapis Gruteri p. LXI, 3. et CCCCLIX, 7. VOLCANO lapis prope Brixiam nuper effossus, de quo vide *Conversationsblatt*, 1825. No. 117. p. 468. Haec autem in vocabulis, ubi V et V iuxta ita iungebantur, ut prius V consonantis, posterius vocalis vice fungeretur, antiquior fuit scriptura, Augusti demum aetate relicta; quod ut probem, numos Augusti et Caesaris provoco. In his enim constanter DIVOS, in illis contra DIVVS.

Homero in primo] Iliad. I, 591. MAIVS.

et . . .] Puta lib. XV, 23. XVIII, 395. MAIVS.

Balerius] Ita cod. *B* pro V, etsi mox sequitur

Valerius. MAIVS. Propter seq. *Valerius* hanc nominis scripturam in textum suscepi, quum *Balerius* librarii more saeculi sui scribentis vitio deberi pateat. Sed de his et similibus accuratius in Sylloge inscriptionum dicam. Vide interim Maium ad Cic. de R. P. 1, 1. et Cramerum ad Scholia Iuvenalis p. 432.

Argonauticis] Cod. *arg*. Est autem locus in lib. II, 88. MAIVS.

Valerius Largus] Ovidius:

ingeniique sui dictus cognomine Largus,
gallica qui phrygium duxit in arva senem.

MAIVS. De hoc Largi carmine nihil praeterea liquet.

Pausanias] Attic. cap. XX. MAIVS.

epigrammatis] Cod. *epigr*. Ovid. *iliacusque Macer sidereusque Pedo*. Pedonis epigrammata innuit Martialis II, 77. MAIVS. Plura de hoc Pedone Albinovano Spaldingius ad Quintil. VI, 3, 61. De Aemilio Macro Veronensi Virgilii amico (vide Serv. Virg. Ecl. V, 1) notabilis locus est Quintiliani XII, 11, 27, unde id colligitur, quod nunc idem ex Apuleio novimus, argumentum Aeneidos Virgilianae simile Macrum tractasse. Humile genus dicendi ei tribuit idem X, 1, 87, praeterea X, 1, 56 addens, Virgilio Nicandrum quendam vel Menandrum vel etiam Neandrum (nam inter hos libri variant) ob oculos versatum fuisse. Recte autem ibi habet Nicandri mentio, quamquam Spaldingius Nicandri Georgicon libros ab Athenaeo saepius laudatos innui posse eam ob caussam, ut videtur, neget, quod iuxta Virgilium Macer nominetur, quem simile opus scripsisse non constet, atque insuper nemo praeter Quintilianum prodiderit, Virgilium Nicandri libris usum esse. In his primum valde miror virum doctissimum dicentem, inter Graecos eos, ex quibus Virgilius profecerit, a Macrobio Saturnaliorum opere Nicandrum

haud memorari. Etenim: *Valerius Probus*, disertis Macrobius V, 22 verbis, *vir perfectissimus notat nescire se hanc historiam sive fabulam quo referat auctore. Quod tantum virum fugisse miror. Nam Nicander huius est auctor historiae, poeta quem Didymus—fabulosum vocat. Quod sciens Vergilius adiecit »si credere dignum est:« adeo se fabuloso usum fatetur auctore.* Quid? quod is ipse locus, quem testimonii caussa Macrobius citat, in Georg. III, 397 exstat, ita ut de Nicandri imitatione vix dubium ullum relinquatur. Deinde Virgilio Macer ideo recte copulatur, quod is similis argumenti libros varios composuisse traditur, in quibus, nunc teste Quintiliano, Nicandrum sequutus est auctorem. Quos spectat Ovidius Trist. IV, 10, 43.

Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
quaeque necet serpens, quae iuvet herba, Macer.

Videlicet scripsit Macer carmen Ornithogoniae nomine insignitum, e quo librum secundum laudat Diomedes I. p. 371, ubi quae hinc proferuntur, *cum laude excellet omnes* metro restituuntur suo, si modo mecum *excelleret* corrigas. Atque versibus id heroicis conceptum fuisse, fragmentum coarguit, quod Aemilii nomine ab Isidoro Orig. XII, 7. p. 1134. ed. Godofr. prolatum non potest non Nostri esse:

Cygnus in auspiciis semper laetissimus ales;
hunc optant nautae, quia se non mergit in undas.

Vincentius Bellovac. Spec. natur. XVII, 49. citat *in undis.* Porro eius Ornithogoniam meminit Nonius v. *Prosecta*, ubi perperam *Licinius Macer* pro *Aemilius M.* Contra recte alio Nonii loco v. *Luculentum* vulgatum *Licinius Macer Annalium libro I*, unde emaculandus Priscianus X. p. 895 sextum decimum Annalium Aemilii Macri laudans. Auctorem enim Annalium libri *Licinium* Macrum habent: v. Censorin. de die natali cap. XX. Praeterea quae Ovidius de serpentibus, Charisii auctoritate comprobantur, apud

quem I. p. 61 ex quinto Theriacon Macri libro afferuntur verba, *longo resonantia sibila collo.* In quo carmine non potest non Theriaca Nicandri imitatus fuisse. Denique aliud quoque fragmentum ad idem poema referendum, quod de serpente chelydro agit; servavit Isidorus XII, 4. p. 1123.

— seu terga exspirant spumantia virus,
seu terram fumat qua teter labitur anguis,

ubi malim altero versu *terra effumat,* uti Severus Aetna 495 *effumat moles.* Horum librorum etiam Plinius H. N. passim meminit. Denique Ovidiana *quae iuvet herba* noli referre ad id poema Macri nomine superstes, quod de herbis exponit: Macri enim nomen mentiri, atque Odoni medico cuidam secundum veteris codicis auctoritatem tribuendum esse dudum monuit Colomesius Opusculis cap. VI. p. 10. Atque huius potius auctoris crediderim fragmenta Macri nomine passim a Vincentio Bellovacensi in speculo naturali laudata. Praeterea etiam hoc iuvat adiicere de bello Troiano Macri: quum Ovidius, ubi ad studia poetica recitatis Macri carminibus invitatum se profitetur, hoc eius poema plane ignoret, quod prae caeteris nominandum fuisset, videri id ab auctore etiam tum perfectum non fuisse. Denique Macrum etiam Tetrastichon carmen scripsisse testatur Quintilianus VI, 3, 96.

§. 19.

Heraclitus] Quis ex multis sit Heraclitis, deus sciat. Neque magis liquet de Phaone, quem amplius non memoratum invenio.

bletis] Ita cod. pro *blitis.* MAIVS.

Apollo] Ovid. ep. Sapph. v. 23:

Sume fidem et pharetram, fies manifestus Apollo;
accedant capiti cornua, Bacchus eris.

MAIVS. Mirum profecto quae apud Nasonem Sappho de iuniori Phaone suo dicat, ea tam belle cum Veneris

amasio congruere. Verum quae infra sequuntur vs. 91, huc melius pertinent,

Hunc Venus in coelum curru vexisset eburno;
sed videt et Marti posse placere suo.

Sabinus in Trisene] Ovid. Ep. ex P.

Quique suam Troezena, imperfectumque dierum
deseruit celeri morte Sabinus opus.

Porro Gyraldus et Merula legebant apud Ovidium Trisenen, uti habet noster. MAIVS. At *Trisene* sine dubio vitiosum. Masurius Sabinus iure consultus, variae vir eruditionis, cuius Memorabilium, de triumphis Romanorum, de iure civili libri laudantur: vide Harduini indicem auctorum ad Plinii H. N. Adde Fastorum libros, ex Macrob. I, 4. p. 165. 166. ed. Pontan., quos et illis Ovidii verbis *imperfectumque dierum* etc. innui credam. Septimum aliquem eius librum memorat Nonius v. *Strigosus.* Cf. Serv. Aen. II, 225. et Schol. Persii V, 88. Ex libro eius de triumphis desumpta sunt quae apud Plinium H. N. XV, 38. exstant: *Masurius auctor est, curru quoque triumphantes myrtea corona usos.* Cui fragmento aliud similis argumenti adde a Vincentio Bellovac. Spec. Natural. XIV, 15. servatum, ubi de lauro: *Praetereaque manu satarum ac receptarum in domos arborum haec sola fulmine non iacitur.* [Haec est etiam Laurentii Lydi de lauro opinio de Ostentis p. 172 ed. Hase.] *Ob has causas equidem crediderim honorem huic habitum in triumphis quam quia suffimentum sit caedis hostium et purgatio, ut tradit Massurius.*

Iulius Montanus] Ovidius:

Quique vel imparibus numeris, Montane, vel aequis
sufficis; et gemino carmine nomen habes.

Confer Senecam ep. CXXII et controv. XVI. MAIVS. Cf. Donati vitam Virgilii cap. XI. ibique Heyne.

§. 20.

communis generis] De feminino usu v. *auctor* vide Columnam ad Ennii Fragm. p. 325. ed. Hessel.

§. 21.

Stephano] Voc. *Ἀνταιούπολις*. MAIVS.

Ciceroni] Ad Att. I, 13. ad fam. VII, 9. MAIVS. Caeterum Nostri verba *sed et ignobiles — aliis* iam attulerat Caelius Rhod. Lect. antiq. XX, 28.

aliis] V. gr. Symmacho ep. I, 3. MAIVS.

§. 22.

Troia modo habet .i. vocalem] Rarissime: Seneca Troad. 824. *Trŏïa.* Cf. Schneideri *Ausf. Lat. Gramm.* I, 1. p. 280. seq. *Troïades* Persius I, 4. ad quem vide Passovium p. 247.

§. 23.

Aeneaque] Ita cod. Et sic diserte Quintil. I, 5. §. 280. MAIVS. V. Schneider. l. c. II, 1. p. 30.

§. 24.

Aevum] Utinam huius diaereseos exemplum apposuisset. Non alienum erit quaedam huius generis exempla rariora hic designasse. Apprime huc facit, quod ex Lucano Consentius de barbarismo c. XVI. p. 31 excitat, *dixisse Phoëbos*, quod in Lucano hodie non legitur. Beda Conflictus veris et hiemis v. 15 (Wernsd. Poet. Lat. T. II. p. 241) *suëscit.* Priscianus ined. in Sinneri Catalogo Codd. MSS. bibl. Bernensis p. 622. seq. „Aut correpta vocalis excipitur a littera, quam necesse est ut consequatur littera *u*, quae cum altera vocali iuncta loco consonantis accipitur, ut apud Lucretium (VI, 869) *quae calidum faciunt aquae tactum atque vaporem*,« ubi nunc aut *laticum*, ignoro qua auctoritate (in libris enim non exstat) aut *laticis* pro *aquae* legitur, quod iam Lambinus ex Beda laudaverat idque adversus Bedae, adde nunc etiam Prisciani, sententiam tribus syllabis pronuntiandum

esse recte observaverat. Fuerunt quoque qui in Lucretio VI, 551

fit quoque ubi in magnas aquae vastasque lacunas

legerent, ubi hodie *ubi magnas in aquae* etc. vulgatur: de qua scriptura adhuc decernendum arbitror. *Larua, miluus*, alia Plauto passim reddenda sunt pro *larva, milvus:* vide Pareum Lex. Plautino. Denique de *uva* trisyllabo quod monet Consentius l. c. X. p. 16, hoc Buttmanno iudice confirmatione indiget. In Apuleio autem nostro, ad quem redeo, si quis novare quid vellet, facile *aëvum* illud ex hoc vocabulorum genere eximere posset, si Lucani X, 124 *aëno* a Nostro spectatum esse diceret et *aënus* vel *aënum* reponere auderet. Cf. Serv. ad Aen. I, 213. Gellii II, 3, unde profecit Tortellius l. c. *de aspiratis in medio dictionis* v. *ahenum:* apud quem valde notandum omitti *Optatum* vel, sicut alii, *Optatumque*, de quo Gellii editores nondum certi quidquam video statuisse.

§. 26.

Numa] Puto intelligendum Numam poetam, de quo Ovid. *et cum subtili Priscus uterque Numa:* sive Ovidius de poeta sive de poemate subtili seu philosophico, Numa inscripto, loquatur. Nam quo pacto citaret Apuleius libros Numae regis philosophicos, quos iam inde a priscis temporibus exustos tradunt Livius XL, 29, Plutarchus in Numa XXII, Lactantius inst. I, 22, August. de civ. D. VIII, 5. Sed tamen libros quoque Numae pontificales pariter crematos aiunt praedicti auctores; e quibus nihilominus locum profert Planciades; eosque legisse videtur Tertullianus de praescr. XL. Certe Numae leges Cicero de rep. II, 14. V, 2. suo adhuc aevo testatur extitisse. MAIVS. Adde Plin. H. N. XIII, 13. Notabilis autem in primis locus de Vespasiano exstat apud Sueton. Vesp. VIII. *Ipse restitutionem Capitolii*

aggressus — aerearumque tabularum tria millia, quae simul conflagraverant, restituenda suscepit: undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecit: quo continebantur paene ab exordio Vrbis senatusconsulta, plebiscita de societate et foedere ac privilegio cuicumque concessis. Nihilominus illos dogmatum philosophiae libros tres num quis fuerit, qui Numae regi serio tribuat? Fragmentum ex Numae Pompilii libris pontificalibus exstat ap. Fulgent. Expos. sermon. antiqui p. 174. ed. Munker.

§. 27.

Penelopea] *Penelopeia* Priapea LXVIIII, 21.

quoniam in mare deiectam etc.] Legesis scholia ad Odyss. IIII, 797. MAIVS. His confer scholion ex Palatino codice depromptum in Creuzeri Melet. Fasc. I. p. 49, ad quod vide editorem, etiam de penelopibus avibus agentem. Adde Plin. H. N. XXXVII, 2 extr.

Carus] Cari poema de Hercule bis memorat Ovid. de pont. IIII, 13. et 16. Fuit is praeceptor nepotum Augusti. MAIVS.

§. 28.

Atticae] V. Pausan. I, 19. Caeterum quae de Eridano Noster, eius nomine concisis verbis iam Caelius Rhod. Lect. ant. XXIIII, 12 exhibuerat.

Est item Italiae] Opportunitate memorati Eridani usus, non alienam mihi agere videor rem, si in transcursu Scholia Arati idem argumentum tractantia ope codicis in Bibl. Universitatis Hafniensis servati vitiis aliquot male adspersis purgare conabor. Scilicet inepte vulgantur in Schol. ad Phaenom. 359. p. 89. ed. Buhle: *ἔστι δὲ ὁ Ἠριδανὸς τῆς γειτνιώσης τῇ Ἰταλίᾳ θαλάσσης*: quae codex ille emendatius sic exhibet, *τῆς γειτνιώσης τῇ Ἰταλίᾳ Γαλατίας*. Hinc corrigas Theonis ad eundem locum Scholion: *Ἔστι δὲ ὁ Ἠριδανὸς τῆς γειτνιώσης τῇ Ἰταλίᾳ θαλάσσης*

γαλατίας. Apud eundem Theonem statim sequuntur: *Ὅτι αἱ Πλειάδες παρὰ ταῖς τοῦ Ἠριδανοῦ ὄχθαις ὀδυρόμεναι* etc., ubi idem codex egregie *Ἡλιάδες*, sicuti etiam absque codicum auxilio corrigendum fuisset. Has Codicis Hafniensis numerati XLIX, duobus tantum foliis comprehensi lectiones O. Blochio, viro humanissimo, a Bibliothecae illius custodibus acceptas grata mente refero, qui ut est erga me benevolus, tam communi litterarum commodo quam meo privato prodesse labore studet indefesso. Caeterum de Eridano fluvio variis terris adscripto vide Diltheium *de Electro et Eridano* (Darmstadii 1824) p. 16. seq.

Hiberiae] Talem in Hiberia fluvium equidem non novi.

Aeschylo] Nisi totus fallor, in Heliadibus, quas Phaethontem in terram delapsum ad Eridanum deplorasse, denique in populos commutatas esse, fabulae tradunt, ex quibus Aeschylum dramatis argumentum sumpsisse suspicor. Scholiasta Ambrosianus Odyss. *ρ*, 208. postquam et Phaethontis fabulam et sororum eius Heliadum copiose narravit, apposite addit: *ἡ δὲ ἱστορία παρὰ τοῖς τραγικοῖς.*

Pausania] Attic. cap. III. MAIVS. Adde VIII, 25.

Euphorione minore] Ex hac mentione Meinekii Fragm. Euphorionis p. 4. coniectura de duobus Euphorionibus, altero Euboeensi, altero Chersonesita, egregie confirmatur. Hunc enim Apuleius respexisse putandus est.

Cassius Severus] Cassii Severi parmensis tragoedias multas fuisse aiunt Acro et Porphyrio ad Horat. ep. I, 4, 4. Ceteroqui quod ibi in Porphyrione edito mendosissime legitur *silvas libros philosophorum amoenos significat;* corrigendum est ex mss. *silvas libros philosophumenos significat;* subdit enim statim Horatius *curantem quidquid dignum sapiente bonoque est.* MAIVS. De Cassii tragoediis nonnulla Lange *Vindiciis tragoe-*

diae Romanae p. 10. Diversus fuit a Cassio Severo, Augusti et Tiberii aetate eloquentiam factitante, de quo v. Schulzium ad Dial. de causs. corr. eloq. cap. XIX. Senarius ex tragoedia eius Bruto desumptus citatur a Varrone de L. L. V. p. 45 et VI. p. 77. ed. a. 1581. Alia fragmenta epici generis Wernsdorfius in Poet. Lat. min. passim collegit.

§. 29.

Ocyroe] Cod. *Ocyore*, sed facilis mihi fuit emendatio ex Ovid. metam. II, 638. MAIVS.

Chariclae] Malui lectionem aliquanto correctiorem edere, quam plane falsam, videlicet *Charictae*, uti Maius vulgavit. *Chariclo* enim nympha mater Ocyroes audit apud Ovidium l. c. vs. 636. Abstinui autem a correctione *Chariclus;* quis enim spondeat, Chariclam non agnosse Apuleium, qui etiam hoc peculiare habet, quod Chariclus genitorem Lycum fluvium nominet, de quo aliunde haud constat. Occurrunt autem in fabulis huius nominis permulti, e quibus illum huc suspicor pertinere, qui Pandione procreatus teste Pausania X, 12 a nymphis artem fatidicam didicerat: namque de Ocyroe Ovidius l. c. *non haec artes contenta paternas edidicisse fuit: fatorum arcana canebat.* Neque aliunde memini liquere de Ocyroe, Caici uxore.

§. 30.

Cornelius Severus] Videtur hoc fragmentum ab antecedente §. abscissum esse.

in bello siculo] Hoc nominatim Corn. Severi poema appellat Quintil. X, 1. Ibidem fuisse Aetnae descriptionem ait Seneca ep. LXXVIIII. Ad hunc Corn. Severum scribit Ovidius de pont. IIII, 2. MAIVS. Huius, nisi fallor, exstat carmen de Ciceronis morte in Senecae Suasoria VII. Cf. praeterea Schol. Persii I, 95.

§. 31.

Callimacho] Aesaci non video mentionem in edito Callimacho fieri.

Porphyrio] Porphyrio scilicet poeta. MAIVS.

Nasone] Immo Naso Metam. XI. fab. ult. dicit Aesacum Priami filium. (Nam Priamus genitus Laomedonte est.) Neque iam superest vetus Ovidiani loci interpres. MAIVS.

§. 32.

Menoetius] Ita pro *Moenetius*, quod Maius edidit, correxi, ne Nostrum prorsus insulsa praecipere sinerem. Porro suscepta hac coniectura *prima*, quod in ed. princ. sequitur, in *secunda* mutandum erat; quam correctionem non erit qui temerariam dicat, si recordetur probabiliter signis numeralibus numeros olim expressos fuisse. Denique his fidem conciliat Tortellii testimonium, qui ut alibi, sic etiam hoc loco Nostro usus esse videtur, de orthogr. fol. 123 *verso: Menoetius*, inquit, *secunda cum .oe. diphthongo et penultima cum .t. exili et .i. latino scribitur: fuit teste Homero libro undecimo iliados Actoris filius: et Patrocli pater* etc.

Apollonio] Argon. I, 69. MAIVS.

§. 33.

.ae. diphthongo] Immo vulgo *Φυλεύς*.

Augei] Forma etsi non optima, tamen haud plane insueta. V. Hygin. fab. 30. In Senecae Herc. Fur. 247 MSS. *Augei* pro *Augiae*.

Homerus minor] V. ad §. 2.

physetem] Ita cod. pro *physeterem*. MAIVS. Quod suscipiendum putavi. V. Plin. H. N. IX, 4. Caeteroqui de Phyleo in balaenam converso scriptores, quod sciam, nil annotarunt. Vide de eo Heynii Obs. in Apollodorum. p. 149. 186.

§. 35.

Ceraphia] An *ceraphis* secundum Graecum *κηραφίς?* Carent hac voce Lexica Latina pariter ac quae mox sequitur *adyticulum*.

§. 39.

filia Pyrrhi] Pyrrhi hoc nomine tertii Deidamia filia, non Laodamia. MAIVS.

§. 40.

Hedera habet aspirationem] Aspirandam hanc vocem esse pariter reliqui Grammatici, atque, uti videtur, recte praeceperunt: vide Eutych. p. 2313 et Terentian. p. 2388. 2400. Caeterum Nostri locum ob oculos habuit Apuleius iunior de nota aspirationis §. 13, quem vide.

ederat] Si Nostrum non plane ineptire vis, illud ex margine irrepsisse dicendum. At tota vocis *hedera* derivatio certe inepta est. Quanto melius Tortellius de Orthographia fol. 96. b., ad ipsum hunc Apuleii locum, ut videtur, respiciens: *Hedera cum aspiratione et absque aliqua diphthongo scribi debet. arboris est genus, aliis arboribus vel muris insidens: et ab ἑδράζω, quod est colloco vel insido, deducitur: et non ab haereo verbo latino: ut quidam putaverunt: cuius prima* [impress. *primo*] *diphthongum habet: et naturaliter producitur: et hedera primam corripit.*

in praeterito .e. breve] Contradicunt huic doctrinae exempla poetarum. Instar omnium esto Virgilius. Ceterum quovis tempore caret saepe diphthongo verbum *hereo* in antiquis codd. MAIVS.

§. 41.

Aurigo] *Aurugo* vulgo scribitur. Nihilominus quidam apud Isid. etym. IIII, 8 legunt *aurigo*, ut Forcellinus observat. Iulius Valerius [De Rebus gestis Alexandri M. III, 58] utitur particip. *aurigans* pro *auro collucens:* cui mire favet in praedicto loco apud Isidorum Varro, qui *auriginem* a colore aureo appel-

lari ait. MAIVS. Quandoquidem Varro de colore recte monuit, intelligendis Nostri verbis *cui color et oculi virent* conferendum est, *χλωρὸν* vel *ὠχρὸν* veteribus aurum dici. Vide Salmas. Homon. Hyl. Iatr. p. 28. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 503. Burmann. ad Ovid. Met. XI, 147.

auriginosus] Hac voce Lexica augeri posse, monui in Auctario Lex. Graec. p. IX. Eandem vocem nunc firma Varronis auctoritate, quam citat Tortellius de orthographia fol. 110. a.

color] Absolute pro faciei colore. Sic Terent. Andr. V, 3, 7. Propert. I, 4, 13. Cic. de Off. I, 36, 4. Cf. Bentl. ad Horat. Ep. I, 16, 38.

§. 42.

Fontanus] Vide ad §. 4.

§. 43.

Battus — Ovidii contubernalis] Ergo diversus ab illo graeco poeta inepto. MAIVS. Quanti iam pretii Noster aestimandus sit, hic locus luculento est exemplo. Nunc enim primum de loci Ovidiani scriptura lis dirimi potest, in qua formanda tantopere aestuarunt Nasonis editores. Convenerunt autem hodie plurimi in hac lectione Trist. IV, 10, 47.

Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo
dulcia convictus membra fuere mei.

Ubi quum nonnulli MSS. *Battus* exhiberent, id quod etiam fuerunt qui amplecterentur, tamen maximam partem illud praetulerunt, praesertim ob Propertii elegiam libri I quartam, quae *Basso* poetae inscripta est, quem Ovidianum esse nemo dubitavit. Nunc vero quandoquidem ex Apuleio certo certius pateat, Ovidio *Battus* restituendum esse, quod insuper Prisciani auctoritate confirmari potest, ex libro Lyricorum Bassi poetae secundo heroum hexametrum integrum

X. p. 897. citantis, dum exspectasses iambicum, quaeritur de Propertiano *Basso* quid fiat, quem si ab Ovidiano diversum esse iure antehac negarunt, coguntur necessario iam cum *Batto* commutare. Atque sic eum praeeunte Gyraldo Vossius de poetis Latinis pag. 35 vere vocaverat. Ut nunc de Ovidiano Batto utpote poeta iambico liquet, ita de Propertio, quum haud constet, utrum iambico an epico poetae carmen inscripserit, mea quidem sententia, iudicium valde ambiguum est. Hoc unum perspicio, Caesio Basso, ei Lyricorum auctori, quem iuxta Horatium Quintilianus X, 1, 96 memorat, elegiam Propertium non potuisse adscribere, quod iunior ille, eodem, quo et Plinius maior, Vesuvii incendio periisse traditur, ut docuit Spaldingius. Seniorem autem haud novit Quintilianus, de Caesio praeterea addens, *quem nuper vidimus;* nec novit alius ullus scriptor. Si quid igitur decernendum est, malim *Batto* calculum adiicere, quum praesertim etiam eidem Pontico, Thebaicorum poetae, quem Batto Ovidius iungit, Propertius nonnullas pariter inscripserit elegias: vide Burm. ad I, 7. *Batti* autem non modo nullam apud Quintilianum mentionem iniici, verum etiam eum dicere, *iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus:* hoc, inquam, tanto minus mirum, quanto etiam silentio Ponticum praetermittit, laudatum sua aetate poetam epicum. Batti poetae fragmenta duo servavit vetus Boessii interpres Ovidii in Ibin 261 et 301. Sed fragmentorum ab hoc Scholiasta laudatorum plurima pars de fide suspecta. Ac sunt illi Batti versus heroo metro compositi.

Varrus et Cinna contubernales] Uterque Virgilii familiaritate nobilitatus. MAIVS. Pro *Varrus,* quamvis infra §. 58. rursus exstent verba *Varrus Cinnae contubernalis,* tamen confidenter *Varius* utroque loco reposui, illud *Varri* nomen nihili pendens. Unico

enim, quantum sciam, titulo Gruteri p. MXCIX, 6, quo VARRVS editur, simul varians lectio VARVS exstat. Neque *Varus,* sicuti certe scribendum esset, huc pertinet, ut ex seq. patebit. Caeterum magnopere iuvat annotare, non modo totum hunc Apuleii locum, verum illud ipsum *Varrus* iam ab Achille Statio ad Catull. X (quo praeter codicum fidem *Varius* exhibentium pariter *Varrus* exstat) in his laudari: „Alii Varum per unum . R. scribunt, et Quinctilium Varum hunc esse affirmant. In manuscriptis omnibus erat, Varius. quod quidem ipsum vitiosum est, sed ad eam propius scripturam, quam sequimur [*Varrus*]. ac nescio an Q. Varrum intelligat, praefectum equitum Domitii, de quo Caesar in III. de bello civili: an potius, si modo non idem est, Varrum Cinnae contubernalem, de quo L. Caecilius Minutianus de Batto iambico poeta Ovidii contubernali, in iis fragmentis, quae scripta exstant apud paucos, *De quo*, inquit, *Varrus et Cinna contubernales in suis poematis meminere.*« Ut nunc nihil de *Varo* vel *Vario* Catulli dicam, hoc certe mirum, Catulli editores in nomine *Varrus* propter metrum vindicando tam pertinaces fuisse, quum si *Varus* legas, quod sine dubio ex adiectivo *varus* ortum, non videam quo modo metrum iuguletur. Sed ut libere dicam, sicuti metrum tribrachum nomine proprio contentum admittit (vide Nobbe Commentat. II. de metris Catulli p. 11.), ita non debet initio versus anapaestus magis offendere. Quare non dubitarim Codicum scripturam *Varius* recipere. Lucii huius Varii carminum fragmenta, quae exstant, collecta se habere atque mox editurum esse spem fecit Weichertus perdocta *Commentatione I. de C. Helvio Cinna poeta,* Grimae a. 1822 edita, p. 9, quod nomen an V. D. iam exsolverit, haud habeo dicere. Idem praeterea Cinnae fragmenta exposuit altera de hoc poeta commentatione, anno post in

lucem emissa. Utrumque, Varium et Cinnam pariter ac Catullus copulat Virgilius quoque, Eclog. IX, 35.

Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna digna,

uti Vossius et Weichertus contra Heynium *Varo* exhibentem legi iubent: quam litem renovata, uti par esset, actione dirimere, longum nunc esset. Vide tamen Servium ad Virgilii locum. Hoc in transcursu adiicio, in hac quaestione non praetereundum esse (licet adhuc factum sit) Martialis locum, VIII, 56, 21:

Quid Varos Marsosque loquar, ditataque vatum
nomina, magnus erit quos numerare labor.

Ibi enim magna suspicio me subit, *Varios* legendum esse. De Domitio Marso, quem poeta hic innuit, vide ad §. 15. De Vario poeta praeterea examinari merentur Saleius Bassus in Pisonem 227. (Wernsd. Poet. Lat. Min. T. IV. p. 276.) et Dial. de causs. corr. eloq. cap. XII.

qui Cyrenem condidit] Euseb. chron. lib. II. ed. mediol. an. Abrah. MCCLVII et MCCCLXXXV. MAIVS. De Batto plura Hemsterh. ad Schol. Arist. Plut. 926. Grammaticorum locis de proverbio in Battum dicto ibi expositis iuvat exadversum alium ex Lexico inedito depromptum ponere: *Βάττου σίλφιον· ἐπὶ τῶν μεγάλων καὶ πολυτελῶν. Οἱ γὰρ Κυρηναῖοι τὸ σίλφιον μέγα τι καὶ ἐξαίρετον ἔχοντες, ἐδίδοσαν Βάττῳ· καὶ οὐκ ἐξῆν ἄλλῳ κεκτῆσθαι. Ἐχάραττον δὲ καὶ ἐπὶ μὲν τὰ ἑνὸς μέρη τοῦ νομίσματος τὸν Ἄμμωνα, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου τὸ σίλφιον ὡς μέγα. Τὸ δὲ σίλφιον βότανόν* [an *βοτάνιόν*?] *ἐστι θεραπευτικὸν, ἡδύοσμον, πολύτιμον.* Sed hac de re copiosius dicendi dabitur locus mox commodior: hoc unum interim libet propinare, valde Hemsterhusium me mirari, quod, dum Scholiasta Pluti expressis verbis dicat, *ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Κυρηναίων πολιτείᾳ,* in Pindari Schol. ad Pyth. IV, 15. et Apostolio v. *Βάττου σίλφιον* non

viderit pro *ὁ καὶ Ἀριστοτέλης* legendum esse tralatitia vocularum confusione *ὃς κατὰ Ἀριστοτέλην.* Caeterum de planta illa, quae proverbii istius ansam dedit, vide Creuzerum *Symbolik* T. I. p. 122.

Proculo] De hoc vide supra ad §. 4. Reliquos duos Pindari enarratores non novi: quinimmo *Proclo* an genuinum sit, valde dubito. Verendum enim ne librarius forma suo tempore obsoleta nominis *Proculus* offensus vulgarem serioris aevi *Proclus* in margine alleverit, unde dein in textum transsumpta sit.

Callimachus] Vide Epigr. LXXII.

Strabo] Lib. XVII, 2, 21. MAIVS.

Proculus] Recole retro p. 128. n. 4. MAIVS.

Antimachum] Codex, quem sequutus Maius, *Callimachum,* quod cur textu expulerim, ad §. 4. exposui.

Melisso] Opus hoc centum et quinquaginta ampliusque libris absolutum fuisse narrat Suetonius in Melissi notitia [de ill. Gramm. XXI.] MAIVS. unde huc haec pertinent: *Atque ut ipse tradit, sexagesimum aetatis annum agens, libellos* Ineptiarum, *qui nunc* Iocorum *inscribuntur, componere instituit: absolvitque centum et quinquaginta, quibus et alios diversos postea addidit.* Pergit Suetonius: *Fecit et novum genus togatarum, inscripsitque Trabeatas:* quo spectant illa Nasonis Ep. ex P. IV, 16, 30.

Et tua cum socco Musa, Melisse, levis.

Ex altera enim parte distichi, qua Musa cum tragicis cothurnis memoratur, patet, illa non ad Iocorum libros, sed potius ad comoediarum genus ab ipso *trabeatarum* nomine appellatum referenda esse. Praeterea inter praetextarum et togatarum scriptores eum pariter refert vetus Cruquii commentator Horat. A. P. p. 632 ed. 1593, notabili nominis diversitate: *Cneius* enim ibi pro *Caio* appellatur. Id tamen falso. A Caio enim Maecenate praenomen tulit. De quo togatarum genere hoc certo moneri posse videtur, neque amato-

res id, nedum imitatores inter Romanos sibi conciliasse: trabeatarum enim nulla alibi mentio fit, neque id genus ab iis commemoratur, qui de diversis fabularum Romanarum formis accurate perscripserunt, veluti ab Evanthio *de tragoedia et comoedia* et Laurentio Lydo de mag. Rom. I, 40. et de mens. p. 9, adhibita huic loco egregia Boissonadi coniectura, ad Tiberium Rhet. p. 36. prolata. Ex notione autem trabeae ab eodem Lydo 1, 7. exposita suspicari licet, istarum fabularum argumentum intra regum historias fere constitisse. Praeterea de hoc Melisso, qui Maecenatis famulitio adscriptus Grammaticam profitebatur, plura Lindemannus ad Pompeium Grammaticum p. 426, ubi qui *Mellissus* laudatur Grammaticus, non intelligo, cur Lindemanno a Nostro diversus esse videatur. Duplici enim littera *l* nomen ibi scribi, nihil caussae est: uno enim, sive idem, sive diversus sit, nomen scribendum esse, testatur ingens titulorum numerus. Caeterum alii permulti Melissi commemorantur, Samius, Euboïcus, alii. Melissi ab Apuleio citati etiam Servius meminisse videtur, Aen. IV, 146. Qui de apibus scripsisse Melissus ab eodem VII, 66. traditur, diversus esse videtur. Alium Melissum citat Suetonius loco pernotabili de gramm. p. 704, ubi de grammaticorum mercede loquitur: *ut constet Lutatium Daphnidem, quem Lenaeus Melissus per cavillationem nominis Πανὸς ἄγημα dicit, ducentis milibus numum Quinto Catulo emptum* etc. In quo loco qua in re cavillatio illa nominis constiterit, quum ab interpretibus variis modis, quamvis frustra adhuc, quaesitum sit, id Casaubonus saltem demonstratum dedit, quod miror a superioribus observatum non esse, in ipsius *Daphnidis* nomine cavillationem Graecam quaerendam esse. Nam ut Daphnidem propter ingentem mercedem, qua a Catulo emptus sit, a Melisso *Πανὸς ἄγημα*, vel quodcunque huic lectioni substi-

tuas, iocose appellatum cogitemus, nihil est quod cogamur. Causa cavillationis haud ex longinquo quaerenda. Nisi enim fallor, *Πανὸς ἄγασμα* legendum, quo vitiosa codicum scriptura *pansagasansema* vel *panosagacema* ultro inclinare videtur, quippe qua appellatione Lutatius Daphnis ei Daphnidi Siculo pastori a Melisso cavillando comparatus sit, quem amore flagitioso Pana prosecutum esse, Theocritus passim meminit. Vide praesertim Epigr. III. In secundo Pani Daphnis iaculum, pedum, tibias etc. dedicare fertur. Itaque iocosa appellatione *Πανὸς ἄγασμα*, quo nomine Siculus pastor fortasse a Theocrito vel alio poeta reapse appellatus fuit, Lutatius Daphnis tamquam Panos amasius deridebatur. Caeterum Melissus hic, quamquam apud Suetonium Lenaei nomine augeatur, quum C. Melissus, de quo Apuleius noster, in libris suis iocorum nonnullos suae aetatis poetas et grammaticos, ut C. Proculum, salibus perfricuisse videatur, quaeri potest an non idem fuerit: haud enim temerarium facinus videatur, pro *Lenaeus* reponere *Maecenas*, quo cognomine ab hero Melissus noster pariter insigniebatur: v. Vinetum ad Suet. de ill. gr. c. 22.

§. 44.

Hesiodus] Theog. 116. seq.

ut ab antiquo etc.] In his fragmentum Latinum heroicum procul dubio latet. De singulis litteris integra verba significantibus supra monitum.

§. 45.

Varronem — denominatum] L. L. IIII, 36. Sed vice versa. MAIVS. Pro *aveo*, a quo *aes* non video qua veritatis specie derivari possit, manifeste legendum est *auro*, sicuti ex Apuleio minore de diphthongis §. 11. patet.

§. 46.

Halo etc.] Pleniora haec exstant apud Apuleium minorem de nota aspirationis §. 5, quae rursus Tortellius sua ad verbum ex more fecit. Sic ille enim de Orthogr. fol. 107. a.: *Halo verbum primae coniugationis cum aspiratione scribitur: ut ab alo differat coniugationis tertiae, quod sine aspiratione scribitur: et nutrire designat. At cum aspiratione halare spirare est: unde halitum spiritum dicimus.*

§. 50.

Hostis etc.] Totum hunc articulum alter Apuleius de nota aspirationis §. 39 ad verbum ita mutuatus est, ut fine, quae hic desideratur, notam ipsam aspirationis adderet, figura expressam. Quae Apuleii minoris verba more suo Tortellius, licet paullo confusius, exscripsit, de orthographia fol. 108. a.: *Hostio, is hostit quartae coniugationis verbum quod aequo aequas significat: aspiratur ut per id a dativo et ablativo eius nominis quod est ostium differat: quod testimonio plurimorum grammaticorum aspirari non debet: eo quod ab obsto obstas non aspirato derivetur. Item nec ospes: quia a nomine quod est ostium deducitur. Sed ut puto tenet consuetudo: quae et hostium et hospes aspirat* [impressum *aspirant*]. *Sed hostio verbum ideo sumptum est: quia in hostium conflictu quaedam fieri consuevit ordinum adequatio. Hostis licet ab obsto obstas non aspirato deduci velint: cum aspiratione tamen scribendum differentiae causa velint: ne in genitivo plurali cum nomine praedicto .s. ostium conveniret: et teste Festo apud antiquos peregrinus dicebatur: qui nunc hostis perduellio.*

quod aequo significat] Vide interpretes Festi.

quasi biceps gladius] Scilicet, uti ex Apuleio minore et aliunde constat, significatur ea forma, quae dimidiatam fere litterae H partem reddit, hoc modo ⊢: nec tamen intelligo, quo modo antiqua aspirationis

nota ⊦ cum gladio bicipite comparari possit. Etenim *biceps* non eo sensu gladius hic appellari potest, quo Virgilius Ciri 213 *ferrum bidens* dicit, sed ideo potius nominari videtur, quod, sicuti fieri solet inter duos hostes, duplex stringitur. Quare Grammaticum hanc fere formam gladiorum duorum decussatim strictorum ⋊ putabam significare voluisse. De signo autem aspirationis describi etiam hodie merentur quae habet Achilles Statius commentario in Tibulli 1, 3. p. 52. „Thura] Sed Vaticano in libro Tura sic scriptum erat, ut aspirationis quidem abesset nota, supra tamen vocalem ipsam .V. asperi nota spiritus esset haec ⊦, quod et in meo veteri Terentii exemplo accurate descripto observatum a librario animadverti in Andriae prologo in verbo, Perintiam, supra vocalem .A. eodem posito aspirationis signo. quae ut olim fuerit scribendi ratio vetus, non ea tamen est vetustissima. neque aut ullo in lapide, veteribus notis inciso, aut vetustissimo libro aliquo factum video. Sine eiusmodi enim signis spirituum, accentuumque reliquorum sua fere veteres scriptitabant."

§. 51.

Azania] V. Steph. Byz. v. *Ἀζανία*, ibique interpp. et Müller *Hellenische Geschichten*. T. III. p. 451.

ubi natum Iovem tradit Euphorion] Euphorionis locus inter eius fragmenta nuper collecta non exstat. Aeque novum videtur, quod de Iove Azanio traditur. De Iovis apud Azanes cultu agit fragmentum Achaei *ἐν Ἀζᾶσι* apud Schol. Eurip. Orest. 373. ed. Matth., cuius fabulae chorum Boissonadus Commentat. epigr. post Holstenii Epistolas p. 439. *ἐξ Ἀζάνων* constitisse non male suspicatur.

proselenes] Maius ex cod., ut videtur, *proselines*. Valde autem notabilis illa vocis forma, quum adhuc tantum Latinis *proselenus* usurpari creditum sit. Vi-

deant alii an hinc coniicere liceat, apud Graecos olim iuxta alteram formam etiam *προσέλην* in usu fuisse. Possis tamen *proselenos* legere.

Arcades] Confer Cic. de rep. III, 15. MAIVS. De Arcadibus proselenis egerunt Neapolis ad Ovid. Fast. I, 469. Bredovius *Untersuchungen über einzelne Gegenstände der Geschichte* p. 78. Creuzerus *Symbolik* T. IV. p. 80.

Cretensibus infensi] Hinc intelligimus Statii illud theb. IIII, 292. *venit et idaeis ululatibus aemulus Azan.* MAIVS.

Carmenides] An forte *Parmenides?* Illud enim nomen nondum succurrit. De *Epimenide* vero rerum Creticarum scriptore cave ne agi credas.

Thyeste] Huius tragoediae exstant aliquot fragmenta. De Graccho vide supra.

§. 52.

Isse] Hanc qui commemoret praeter Stephanum Byz. non novi alium. Hic autem: *Ἴσσα,* inquit, *πόλις ἐν Λέσβῳ, κληθεῖσα Ἱμέρα· εἶτα Πελασγία καὶ Ἴσσα ἀπὸ τῆς Ἴσσης τῆς Μάκαρος*: ad quem locum apte Plinium V, 31. admovent, quippe tradentem, *Macariam* olim Lesbiam fuisse appellatam, scilicet a patre Issae. Nondum igitur extra omnem dubitationis aleam illud positum, ut arbitratur Eckhel. Doctr. num. T. II. p. 159, numum capite muliebri adiecta epigraphe *ΙΣΣΑ* insignem Issae Illyricae potius quam Lesbicae tribuendum esse.

Macarei] Cod. *Macharei.* MAIVS. Recte: de Macareo coloniam in Lesbum insulam deducente cf. Diodor. Sic. V, 81. Quare dubito an genuina sit Stephani l. c. scriptura *Μάκαρος*: quamquam et alii scriptores hanc formam teneant, quos indicat Siebelisius ad Androtionis fragmenta post Philochorum edita p. 122.

cuius amore pavit etc.] Ex his amplificari ac suppleri potest fabula de raptis a Mercurio bobus Apollinis, in Hymno Mercurii Homerico exposita.

Ovidius] Locum investigare adhuc non contigit.

Pierio] Sic pro *pilio*, quod Maius edidit, scripsi, traditionem fabulae sequutus.

§. 53.

Rhoecus] Corr. *Rhoetus*. MAIVS. Nil temere mutaverim, haud immemor, in aliquot Horatii locis pro *Rhoeto* etiam *Rhoecus* ex MSS. vulgari, de qua discrepantia adhuc non est res acta: quamquam plurimi *Rhoetus*.

Naso] Metam. V. et XII. MAIVS.

Graecos] Cod. *G* pro *Graecos*. MAIVS.

§. 54.

avis] Hoc quid sibi velit, non assequor. De Caeneo viro, antea virgine cf. Ovid. Met. XII, 172. seq. Serv. ad Aen. VI, 448.

§. 55.

Carhctus] Videtur corrupta vox. Nam et Latini parentes alio nomine feruntur. Saltem scribendum *Carcthus*. MAIVS. Immo scripsit Apuleius id quod edidimus, *Tarchetius*, firmante Tortellio de orthogr. fol. 184. a.: *Tharchetius cum .t. exili et .ch. aspirato*. Porro necessario mutandum erat .*th*., quod habet Maius, in .*ch*. De hoc Tarchetio cf. Plutarchum Vit. Romuli cap. II., quem etiam Tortellius laudat. Quae autem Noster de *Latino* eius filio et *Salia* tradit, nova sunt omnino, nec congrua iis, quae ex Promathidae *Historia Italica* Plutarchus retulit. Sic enim scriptoris nomen in Plutarcho scribendum videtur: scilicet pro *Προμαθίων τις* legerim *Προμαθίδας*. De hoc historico vide Passovium *Symbolis crit. in scriptores Graecos et Rom. e codd. MSS. Vratisl. depromptis*, Vratislaviae 1820. p. 21. cui addas Schol. Apollon.

Rhod. I, 1125. II, 817. 847. 913. 931. unde praeterea constat, eum *περὶ Ἡρακλείας* libros composuisse. Fatendum tamen, *Προμαθίωνος* nomen per se haud falsum esse, quo scilicet rex appellatur in titulo apud Caylum *Recueil d'Antiquités,* T. II. tab. LV.

§. 56.

Dahae] Steph. Byz. *Δάαι, Σκυθικὸν ἔθνος· εἰσὶ δὲ νομάδες. λέγονται καὶ Δάσαι, μετὰ τοῦ σ̄.* Num voluit *Δαῦαι* et *ῡ* pro *σ̄*, quinimmo *Δαῦοι*? Vide ad h. l. interpretes. Iidem enim sunt, qui ab aliis scriptoribus passim *Δαῦοι* appellantur. Tortellius de Orthographia: *Dai cum .i. latino scribitur: sunt persarum populi: qui teste Herodoto libro historiarum primo: omnes sunt pastores et similiter mardi, dropici et saratii.* Nomen *Dauorum* reddas Servio Aen. VIII, 728. dicenti: *Dahae] Scythiae populi a parte septentrionali iuncti Persidi: unde* Dassi *dicti.* In Virgilii loco recte nunc ex melioribus MSS. *Dahae* editum, sicuti etiam in Lucano VII, 429. ex codicibus a Webero collatis *Dahas* pro vulg. *Daas* reponendum videtur. Eadem nominis scriptura etiam in Plin. VI, 17. et Melae I, 2. III, 5. obtinet.

§. 57.

per .e.] An forte *per .i.?*

Graecos] Cod. *G.,* ut supra [§. 53]. MAIVS.

Fuit scalptor etc.] De Myrmecida hoc pariter ac Callicrate diserte Plinius H. N. XXXVI, 4. extr. p. 639. ed. Franz. *Sunt et in parvis marmoreis famam consequuti, Myrmecides, cuius quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca: et Callicrates, cuius formicarum pedes atque alia membra pervidere non est.* Eorundem mentionem Scholiasta Dionysii Thracis Bekkeri Anecd. T. II. p. 651 his facit: *Μικροτεχνία ἐστὶν ἧς τὸ ἀποτέλεσμα βραχύτατόν ἐστιν, ὡς Ἐπιμιρκίδου τοῦ Ἀθηναίου καὶ Καλλικράτους τοῦ Λακεδαιμονίου·*

οὗτοι γὰρ ἐποίησαν σιδηροῦν ἅρμα ὑπὸ μυίας ἑλκόμενον καὶ τῷ πτερῷ τῆς μυίας καλυπτόμενον. Ita perperam Bekkerus edidit, dum codices vel *ἐπὶ Μυρκίδου*, vel *ἐπιμυρμηκία* h. e. *ἐπιμυρμηκίδ'* praebent. Dubitari enim non potest, legendum esse *ἐπὶ Μυρμηκίδου.* Theodosius Gramm. p. 54. *ὡς ἐπί τινος ποιήσαντος χαλκοῦν ἅρμα καὶ ἀναβάτην ἑλκόμενον ἀπὸ μυίας.* Sive vero quadriga illa aere, sive marmore facta sit, de re ipsa dubitare haud sinit citatorum auctorum testimonium, quibus et alii accedunt, quos enumerant intpp. Aeliani V. H. I, 17, ubi illius quadrigae unus tantum auctor Myrmecides laudatur. Etenim in hoc ille ab auctoribus dissentit, quod opus illud amborum, Myrmecidae et Callicratis fuisse asserit. Quam discrepantiam Goettlingius ad Theodosium p. 221. quando ita componere studet, ut coniunctam, quae traditur, utriusque artificis Atheniensis et Laconis virium ad unum opus perficiendum contentionem fictitiam esse sumat, scilicet a Grammaticis Theodosio recentioribus inventam, non est quod secus putemus, quamvis in origine fictionis ab eo discedamus,. quippe persuasi, utrique eam ob causam idem opus perperam tributum esse, quod uterque uti eiusdem generis artificiorum auctores saepe iuxta nominarentur, veluti in Apuleio nostro, Plinio, Aeliano, Galeno (Protrept. T. I. p. 20 ed. Kühn.), Plutarcho (Adversus Stoicos p. 1083. Frcf.), Athenaeo (fragmento, quod Casaubonus annotat. ad Athen. XI, 4. edidit), aliis. Nam quam affert Goettlingius confusionis caussam, eam nego ante probari posse, quam Myrmecidam demonstratum sit natu revera Atheniensem fuisse, quod quamvis auctores aliquot tradant, tamen non desunt qui Milesium eum potius referant; ex quo numero sunt Aelianus et Athenaeus l. c. ita dicens: *Ἔνδοξοι δὲ τορευταὶ Ἀθηνοκλῆς, Κράτης, Στρατόνικος, Μυρμηκίδης ὁ Μιλήσιος, Καλλικράτης ὁ Λάκων καὶ Μῦς.* Nam de Mileto At-

tico pago non cogitandum, praecipue propter Athenaei mentionem, qui eos artifices, qui extra Athenas nati essent, gentili ipsorum nomine accurate designat. Denique cf. Iunium de pict. vett. in Catalog. p. 126.

Theodoro] Vix credidisses, Samium illum esse statuarium celebratissimum, de quo nuper docte Hirtius in Böttigeri Amalthea I. p. 226, nisi fidem Plinius faceret, pusilli huius generis quadrigam ab eo elaboratam commemorans XXXIV. p. 286. ed. Franz.: *Theodorus, qui labyrinthum fecit Sami, ipse se ex aere fudit, praeter similitudinem mirabilem fama magnae subtilitatis celebratus. Dextra limam tenet, laeva tribus digitis quadrigulam tenuit, translatam Praeneste, tantae parvitatis, ut totam eam currumque et aurigam integeret alis simul facta musca.*

A . . .] Ita cod. MAIVS.

§. 58.

Varrus] Sic Maius. Nos *Varius*, de quo vide ad §. 43.

§. 60.

Livius] A Livio scribitur *Aous*. MAIVS. Lib. XXXII, 10. Reliqui *Aeas:* v. Plin. III, 23. Mela II, 3. De T. Veracis Odyssea vide ad §. 6.

§. 61.

Aethiopus] Usus est hac forma Lucilius Prisciani VI. p. 689.

Lupus Siculus] Ovid. *auctor — Tantalidae reducis Tyndaridosque Lupus.* De Lupo siculo lege, si placet, Mongitorium in sicula bibliotheca. MAIVS. Vide infra §. extr.

§. 62.

Quintius] Ita cod. MAIVS. Reposui *Quintus:* vide ad §. 9.

saepius usurpat] Exemplum unicum *τοῦ aestus, i* ex Pacuvio superesse videtur apud Nonium. MAIVS. Nonius VIII, 9. p. 756. ed. Godofr. *Aesti pro aestus. Pacuvius Chryse: Aesti forte ex arido.* An legendum *fonte?* Huius vetusti metaplasmi, quem non video Leop. Schneiderum in Grammatica Latina annotasse, alia haud desunt exempla. Donatus ad Terent. Andr. II, 2, 28: »nihil ornati] ἀρχαϊσμός. Sic Sallustius: *Ergo Senati decreto serviendumne sit.*« Quare post alios duce Charisio p. 115 Garatonius Ciceroni Div. in Caecil. c. V. *senati* vindicavit, sapienter monens, codicum MSS., qui unanimiter *senatus*, auctoritatem in eiusmodi rebus nihili pendendam esse. Apud Plautum frequens est ille metaplasmus: sic *quaesti* Aul. 1, 2, 5. et Poenul. prol. 95; *gemiti* Aul. IV, 9, 11. Ex Lucilio *vultorum* citat Grammaticus in Sinneri Catal. Codd. Bibl. Bernens. p. 440.

§. 63.

Anhelo] Similia Tortellius de hac voce, ubi de aspiratione in medio vocabulo agit.

Plinio] In libris, suspicor, quos *de dubio sermone* scripsit: de quibus adeas Lindemann. ad Pompeii artem p. 107. Addi potest Pierii scholion ad Virg. Aen. I, 212. »Sed enim Fl. Sosipater, *vera* dicendum, non *verua*, et *verum* et *verucus (?)* contendit: citata etiam Plinii sententia ex dubii sermonis libro sexto, dicentis manifestum est *veribus*, *genibus*, *ossibus* dici per *i* in penultima.« Qui locus Sosipatri quum procul dubio is sit, qui in Putschiana editione p. 50 exstat, ubi nulla omnino Plinii hodie mentio fit, vix dubitare sinit, quo minus Pierius integriori Sosipatri codice olim usus sit: quod altioris indaginis esse videtur.

§. 64.

Daphne dicebatur Spartanis etc.] De Pasiphae Laconica vide Meursii Misc. Lacon. I, 4. Creuzeri

Symbolik T. IV. p. 89. seq. Adde Apollon. Hist. XLIX. p. 99. ed. Teucher.

Ariadnen] Maius Ariadnem. Obiter vitio liberabo Lactantium ad Stat. Theb. XI, 401. ubi exstant: »*De hac enim regione fuit Ariadne lanificii peritissima, quae Minervam provocavit, et ab ea in araneam est mutata.*« Nemo non videt *Arachne* legendum esse.

Serapione Rhodio] De hoc quaerendum. MAIVS. Casune factum sit, ut iuxta Philochorum, qui etiam nostro loco memoratur, inter eos, qui de interpretatione somniorum scripserint, pariter Serapion quidam auctor quamvis Ascalonites a Fulgentio Mytholog. I, 13 collaudetur? Vix crediderim. Fulgentio praeterea Tertulliani auctoritas addenda, de anima c. 46. *Quanti autem,* inquit, *commentatores et adfirmatores in hanc rem, Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus et Dionysius Rhodius, Hermippus, tota saeculi litteratura.* Porro Serapionem philosophum Seneca Epist. XL, Antiochenum quendam Geographicorum auctorem Cicero Epist. ad Atticum passim memorat. His denique adde Serapionem medicum passim apud scriptores obvium.

Philochoro] In historia attica. Cod. *Philocoro.* Supple autem *auctoribus,* ut p. 133. vel *testibus,* ut legitur p. 132. MAIVS. Philochori fragmentis a Siebelisio editis hic locus addendus est, qui non ex Ἀτθίδος eius, ut suspicatur Maius, sed potius ex libello περὶ μαντικῆς desumptus esse videtur: vide Munker ad Fulgent. l. c.

Lupus Anilius] Quandoquidem Lupus siculus, teste Ovidio, scripsit de Menelao itemque de Helena; num idem homo est atque Lupus Anilius (seu Anilus ut p. 129?) Hoc et alia eiusmodi in his fragmentis maiore consideranda erant otio, quo ego careo: de quorum tamen sinceritate idcirco vix dubito, quia Caelius Statio antiquior ad ea toties provocat. MAIVS. In

his tenebris nisi divino polleat acumine, certi vix quidquam ullus dispiciat. Primum hoc cum e nominum similitudine, tum etiam ex affini, quod tractarunt, argumento circa Tyndaridarum familiam versante certo liquere videtur, unum eundemque esse Latinum auctorem, tribus illis locis variato nonnihil nomine laudatum. Dein haud minus manifestum videtur, scripturam *Anilus* seu *Anilius* mendosam esse, quoniam hae nominis Latini formae omni carent et auctoritate et exemplo. Cuius loco auctor essem ut *Anlius* substitueretur, si tantum esset, Romanum nomen contextui reddidisse. Etenim hoc nomen saltem lapis Gruteri p. MCLX, 13 offert, ubi ANNLIVS: quamquam etiam huic nomini ambigi potest an non praestet sufficere *Manlii*, sicuti in alio Gruteri lapide factum p. CCCCXC, 2, ubi antea pariter ANLIVS.

Parthenius] Parthenius poeta, quem in graeca grammatica audivit Virgilius. Macrob. sat. V, 17. Gell. XIII, 26. Eius volumen de amantibus laudat Probus ad Virg. ecl. III, 62. Extat autem graecum scriptum de amatoriis adfectionibus. MAIVS. Plura Gronovius ad Gellium l. c. Parthenii poetae fragmenta passim apud Grammaticos obvia in unum corpus colligendi, quam spem fecit nuper Meineke ad Euphorionem praef., utinam haud diutius frustretur! Interim iuvat fragmentum designare apud Tortellium de orthogr. fol. 123 *recto* vitiose sic laudatum:

Γλαύκῳ καὶ Νιρεῖ καὶ εἰλινάων Μελικέρτῃ.

Poeta doctus in suo passere] Quis amborum Catulli in passerem lusuum non statim meminerit? Nihil autem in iis inest, de quo Apuleius. Nec tamen Catullum mitto. Is enim, si non in illis poematiis, certe in Epithalamio Pelei locum de Theseo et Ariadne copiose tractavit, quem quominus Apuleium respexisse dicamus nil caussae est. Quae si probabilia sunt, simul hoc manifestum, totum Catulli libellum carmi-

num Apuleio *Passeris* nomine cognitum fuisse, quod tanto magis advertendum, quanto Apuleium in citandis antiquiorum scriptorum nominibus ex ipsa Catulli aetate et accuratum et fide perdignum observavimus. In qua quaestione maximi, nisi fallor, momenti erit Martialis locus, IV, 14:

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Quis enim *passer* hic Catulli? An ambo dicuntur eius in passerem poematia, quae non constat *passeris* nomine appellata esse, vel totus Catulli libellus hoc modo inscriptus? Operae sane pretium erit, hac de re amplius quaerere.

APVLEII
DE NOTA ASPIRATIONIS
ET
DE DIPHTHONGIS
LIBRI DVO.

APVLEIVS

DE NOTA ASPIRATIONIS *).

1. Omnis aspirationis nota aut principalis est syllabarum, aut terminalis, aut media. Principalis igitur syllabarum nota aspirationis solis vocalibus praeponitur, retinetque duos in dictionibus locos, capitalem et medium, ut homo, perhibeo. Et de ea quidem, quae capitalem in dictionibus locum obtinet, primum disseremus. Ab .a. igitur, quae prima est, ordiamur.

2. .A. igitur ante .b. aspiratur in habeo, habes, ut ab eo, is differat, cum componitur cum ab praepositione abeo, abis: et ab eo, quod est praenomen, iterum discrepet. Sciendum quoniam quotiescunque dictionem aliquam aspirandam, omnes etiam dictiones ab ea venientes volumus intelligi, ut habito, habilis, habaena: et caetera

*) Cod. Guelph. *Incipit liber apulei de nota aspirationis;* Gud. *Apulei de nota aspirationis liber incipit.* Caeterum uterque constanter *aspiratio, aspirare,* quod retinuimus.

iterum] Gud. *unde.*

quae ab hoc verbo veniunt. Abundo quod in plerisque locis aspiratum invenitur, scriptorum vicio tribuendum est, cum ab praepositio aspiratione careat, unde componitur, undo, as: quod derivatur ab eo quod est unda.

3. .A. ante .c. aspiratur in pronomine sive adverbio hac: non solum enim .a. sed et caeterae vocales aspirantur in articularibus pronominibus et in adverbiis monosyllabis inde derivatis, ut hic, haec, hoc, huc: quoniam hic pronomen, a quo caetera huiusmodi oriuntur, a Graeco derivatum est, teste Prisciano: quod apud Graecos notam aspirationis habere certum est. Latini autem in nonnullis dictionibus ab illis notam aspirationis traxerunt.

4. .A. ante .e. aspiratum in nonnullis dictionibus reperitur, ut haereo, harena, herba: sed

---

sed et] Gud. *et* omittit; uterque mox *monossyllabis.*

Prisciano] Lib. XII. pag. 938 Putsch. *Nec mirum loco articulorum ea nos accepisse in declinatione, cum apud Graecos quoque iisdem vocibus, et in articulis et pronominibus soleant uti, ὁ, ἡ, τὸ, ex quibus apud nos, hic, haec, hoc, nascuntur pronomina articularia. Itaque quia illa apud Graecos aspirantur, quae a vocali incipiunt, ea quoque apud nos, et a vocali incipiunt, et aspirationem habent.*

haereo, harena, herba] Sic Gud. Mediam vocem omittit Guelph., in quo praeterea *haerba.* Vocem *harena* aspirandam alii quoque Grammatici praecipiunt: vide Maium ad Frontonis Epist. I. p. 19. Adde Charis. I. p. 80. Marium Victorin. I. p. 2467, 2. Velium Longum de Orthogr. p. 2238. Et sic passim codices:

quia aspiratio haec potius .e. quam .a. tribuenda est, ideo cum de .e. tractabitur, dissereremus. Ab .f. usque ad .l. non est litterarum aliqua, cui .a. praeponatur cum aspirationis nota.

5. .A. ante .l. aspiratur in halo coniugationis primae, ut ab alo differat coniugationis tertiae. Concordat enim in hoc verbo aspirationis nota cum ipsa verbi significatione: halare enim spirare est, et halitum spiritum dicimus.

6. .A. ante .m. aspiratur in hamus, ut in dativo vel ablativo hamo habeat differentiam ab amo verbo.

7. .A. ante .n. aspiratur in hanc accusativo, supra dicta ratione. Ante .o. et .p. et .q. non reperitur .a. notam habens aspirationis.

---

v. Fragm. iuris anteiust. de usu fructu p. 21. nec non Symmachi Cod. Vaticanum p. 31. ed. Maii. Diomedes I. p. 313 an *harena, harenarius, harenosus, harenola,* sicuti nunc vulgatur, vere scripserit, ambigi potest: codices enim mei aspirationem vel addunt vel demunt. Priscorum enim scriptorum usus aspirationem respuit, una inscriptione confirmatus, in qua *arenarius* exstat: edidit Eichstadius *de inscriptione arenaria Treveris nuper reperta,* Ienae 1819. 4.

in halo] Gud. *ut h.,* et mox *coniugationis tertiae differat.* De toto lōco vide ad Apuleium maiorem §. 46.

in hamus] Sic Gud. Contra Guelph. *ut h.* Caeterum in his, quae de aspirando *hamus* exponuntur, Apuleius secutus est Priscianum apud Cassiodorum de Orthogr. p. 2318. Putsch.

habens] Gud. *habere.*

8. .A. ante .r. aspiratur in harum genitivo. In hara quoque, quando stabulum significat porcorum: et ut discrepet ab ara deorum. Dicit praeterea Servius: quod hara aspiratum avem augurialem significat: a quo nomine haruspex et hariolus asserit derivata, eosque falsitatis arguit, qui aruspex et ariolus ab ara deorum astruunt derivari, cum in ara deorum principalis producta sit, in aruspex vero et ariolus brevis. Harena etiam dicit Servius aspirandum, quia a verbo haereo derivari videtur: eo quia mixta calce in parietibus haereat. Alii vero convenientius ab areo verbo derivatum putan-

---

quod hara aspiratum avem augurialem significat] Nova haec vocis significatio, si quidem vera est: de quo dubito. Varia veterum Grammaticorum tentamina vocem *haruspex* derivandi affatim exposita sunt in Ephem. litt. Halens. a. 1824. No. 215. p. 49. seq. Denique aeque nova videtur vox *augurialis*, quam opprimere nolui, vocis *auguriosus*, quae medii aevi propria est, memor: v. Cangium h. v.

hariolus] Quandoquidem Servius in derivanda voce *haruspex* errare videtur, tamen non plane spernenda quae de *hariolus* ponit. Nam quod narrant, *hariolus* nil differre a *fariolus*, id nondum arbitror demonstratum. Vellem enim explicuissent, qui *fariolus* simul cocionem sive *μεταβολέα* significare potuerit, sicuti in Glossis *ariolator* exponitur: v. Auctar. Lex. Graec. p. 43.

astruunt] Gud. *asserunt*.

derivatum] Omittit Gud. De *harena* et *arena* vide ad §. 4.

tes, sine aspiratione scribunt arena. Arundo autem cum ab ariditate dicatur, vitio scriptorum potius quam ratione aspiratur. Sunt autem qui harundo, quando hastam significat, iudicant aspirandum, ut ab arundo, quae cannam significat, per eam notam differat. Porro arundo mihi videtur ubique nomen quod cannam significat per proprietatem, et hastam propter quandam inter se similitudinem; unde non censeo aspirandum.

9. .A. ante .s. aspiratur in has accusativo. Hasta etiam aspirabimus, si Graecos imitari curabimus. Nam secundum Hisidorum aspiranda non est, quia eam ab asto verbo existimat derivari. Sed placet nos potius Graecos aemulari. Ante .t. vero non aspiratur .a. in Latinis dictionibus.

---

ratione] Abest a Gud., qui mox *tamen* pro *autem*. Caeterum Noster quum fuisse scribit, qui inter *harundinem* et *arundinem* distinxissent, praeter alios Agroetium intellexisse videtur, qui de Orthogr. p. 2272. Putsch. *Arundo, canna est, ab ariditate dicta: harundo, telum e canna.* Praeterea notandum HARVNDINES in lapide Gruteri p. CXXXVIII re vera legi.

aspirandum] Gud. *aspirandam*, et mox *Porro harundo ubique mihi videtur.*

Hisidorus] Sic uterque codex hoc loco et passim, vitio cum aliis scriptoribus Apuleio non solum communi, immo ab eo defenso ac commendato §. 31., quem hoc nomine perstringit Tortellius libro de orthographia fol. 112 *verso:* »Isidorus absque aspiratione: et per .i. latinum ubique scribitur: habetque

10. .A. ante .u. aspiratur in verbo haurio, ut in secunda persona ab auris nomine discrepet, quod non aspiratur. Have verbum salutativum satis convenienter veteres aspirabant, ut differret ab ave ablativo avis, vel ab imperativo verbi aveo, unde avidus et avarus. .A. nomen vel praepositio aspiratione caret. Ha vero interiectio, ut ab his differat, aspiratur: vel quia affectum significat, cum aspiratione profertur. Invenitur non nunquam interiectio ah, post se aspiratum; sed de ea suo loco dicemus.

11. .E. ante .b. aspiratur, ut hebdomada,

---

accentum in penultima: ut videbimus in dictione prosodia: nomen est viri proprium: quod multi perverse scribunt: inter quos Apuleius grammaticus alias praestantissimus aspirari voluit: quod inter Graecos nunquam emendate comperit.« Isidorum autem Noster an cum Varrone confudit? Ille enim Orig. XVIII, 7. p. 1269. *Nomen autem hasta ab astu sumpsit: unde et astutia.* Contra cum Apuleio Varro de L. L. IV. p. 20. ed. Godofredi: *Hasta, quod stans solet ferri.*

.A. ante .u. aspiratur] Sic ex Gud. pro *Ante .u. aspiratur .a.*, ut Guelph.

Have] Inscriptiones, quantumvis recte memini, nullo discrimine utrumque, *have* et *ave:* quamquam illud frequentius.

ablativo] Abest a Gud., quo duce mox *verbi* ante *aveo* suscepi, cuius loco Guelph. *verbo.*

his] Gud. *is:* neutrum intelligo. Mox *se* omittit Gud.

hebdomada] Gud. *hebdemoda.* Haud paullo ante

hebenus, aemulantes Graecos, a quibus haec nomina sumpsimus. Aspiramus praeterea hebeo II coniugationis verbum, ut differat ab ebeo, ebeas coniugationis primae: unde ebeati dicuntur qui felicitate aliqua ceciderunt.

12. .E. ante .c. aspiratur in haec, causa iam praefata.

13. .E. ante .d. aspiratur in hedus, hedera. Aspiratur autem hedus, ut in dativo et ablativo differat ab edo, es, pro comedo, et ab edo, edis pro pario vel compono. Hisidorus tamen

---

fortasse *aspiramus* legendum, si quidem magistellum in talibus emendare operae pretium videtur.

hebenus] Sic ex Gud.; Guelph. *herbenus.* Quamquam vero etiam apud Servium ad Virg. G. II, 117 *hebenus* et *hebenum* vulgetur, tamen quod Apuleius de aemulatione Graecorum in aspiranda hac voce affert, tanto magis singulare est, quanto diserte Auctor Lexici de spiritibus a Valckenario editi p. 214: *Τὸ Ε πρὸ τοῦ Β ψιλοῦται — οἷον Ἔβενος ξύλον.* Schneiderus tamen Lex. Gr. v. ἔβενος ex Theophrasti Hist. plant. IV, 5 excitat ἐβένη. At fortasse Apuleius Herodiani nitebatur auctoritate, apud Tortellium de Orthogr. fol. 96 *recto* servata: »Hebenum similiter aspiratur: et cum unico .n. scribitur: idque Herodianus de Orthographia attestatur.« De hoc Herodiani libro vide Praefationem.

ebeo, ebeas] Nova vox notatu dignissima, etiam sequente *ebeati* firmata, de cuius significatione Apuleius dubitare nos haud sinit. Vereor autem ne scripserit mox *exciderunt,* vel *deciderunt.*

edis] Sic Gud. In Guelph. *is.* Mox Gud. *Hisodorus.* Isidori locum non invenio.

huic nomini aspirationis notam abstulit. Verum ab ethimologia ista usum non praesumimus immutare. Marcus Terentius scribit hedum lingua Sabinorum fedum vocatum, Romanosque corrupte hedus pro eo quod est fedus habuisse, sicut hircus pro fircus et trahere pro trafere. Hedera ab haerendo dicitur, ideoque aspiratur:

---

ab ethimologia] Praepositionem Gud. abiicit.

Marcus Terentius] De L. L. IV. p. 17. ed. Godofr.: *Hircus quod Sabini fircus: et quod illic fedus in Latio rure hedus, quod in urbe, ut in multeis, A addito haedus.* Velius Longus p. 2238. *antiqua consuetudo respicienda est, quibus moris fuit, pro hac aspiratione litteram dicere F. Itaque harenam iustius quis dixerit, quoniam apud antiquos Fasena erat, et hordeum, quia Fordeum, et sicut supra diximus hircos, quoniam Firci erant, et hoedi, quoniam Foedi.* Festus: *Fedum antiqui dicebant pro hedo, folus pro olere, fostim pro hoste, fostiam pro hostia.* Conf. Spalding. ad Quintil. I, 4, 14. et intpp. Festi v. *Fortis* et *Horctum*, ubi legendum *Horctem.* Vide praeterea Nostrum infra de diphthongis §. 3. Contraria autem Quintilianus I, 5, 20. *Parcissime ea* [aspiratione], inquit, *veteres usi etiam in vocalibus, cum oedos, ircosque dicebant.* Quam discrepantiam, quandoquidem recte illa Fabius, alio non habeo explicare modo, quam si sumam veteres aspiratione H abstinuisse, eosque aut *ircus* et *oedus*, aut *fircus* et *foedus* ad Sabinorum vetustam dialectum pronunciasse.

et trahere pro trafere] Gud. *trahere pro transferre* omissa copula: Guelph. *et trahere trafere.*

Hedera] Quae de hac voce habet Noster, ab altero Apuleio mutuatus est, cuius §. 40 ad verbum fere exscripsit.

quamvis haereo per .ae. diphthongon, hedera vero per .e. brevem scribatur. Non est autem mirum, .ae. diphthongon in .e. brevem converti in dictionibus diversis, quando unum idemque verbum in praesenti quidem .ae. diphthongon, in praeterito vero .e. brevem invenitur habere, caedo, cecidi. .E. ante .f. .g. non invenitur.

14. .E. ante .i. aspiratur in hei interiectione, ut ab ei pronomine distet: vel quoniam affectum significat, cum auctiore spiritu est premendum. Heiulo aspiratur, quoniam ab hei interiectione est tractum.

15. .E. ante .l. aspiramus in helleborum, Graecorum imitatione. Elluo aspirant plerique: sed cum ab edo indubitanter sit sumptum, aspirandum non est.

---

autem] Abest a Gud., sicuti etiam mox *unum,* quod pariter tuetur Apuleius maior.

.f. .g. non invenitur] Gud. *.f. .g. .h. non invenitur aspiratum.* Postremo haud opus: vide §. 16.

significat] Gud. *significet.* Mox pro *premendum* num forte *proferendum,* vel *pronuntiandum?* Praeterea *heiulor* uterque codex. Aspirandum verbum esse pariter, neque hoc omnino male, praecipit Eutyches de adspiratione apud Cassiodor. p. 2312. ed. Putsch.

aspiramus] Gud. *aspirationis notam.*

Elluo aspirant plerique] Hos inter est Eutyches l. c. aliique cum veteres tum recentiores, hi potissimum Festi auctoritate freti dicentis: *Heluo dictus est immoderate bona sua consumens, ab eluendo. Cui aspiratur, ut aviditas magis exprobretur: fit enim vox incitatior.* Haec si Festo iudico indigna esse, quanto magis de-

16. .E. ante .m. aspiramus in hemis, Graecos imitantes. Dicimus tamen et semis, .h. in .s. commutantes: quam commutationem fecimus in ἕξ et ἑπτά, sex et septem dicentes. Item aspiramus ante .m. .e. in interiectione hem, significationis gratia, sicut alias quasdam interiectiones. Ante .n. et .o. non invenitur.

17. Ante .p. aspirant Graeci .e. in hepta, quos nos aemulamur in heptas, hepaticus. Ante .q. non est inveniri .e. in qualibet Latina dictione.

18. .E. ante .r. aspiramus in Herebus, heresis, hereticus, heros, sequentes scilicet Graecos.

---

bent esse Manutio et Dausqueio, propter Festi auctoritatem vocem aspirantibus. Unde enim, quaeso, *heluari* verbum? num item ab *eluendo*, an ab *heluo?*

hemis] Sic Gud. *Haemis* Guelph., sed in margine *hemis.*

et ἑπτά] Gud. *et in* ἑπτά.

heptas] Gud. *hepta.* Uterque statim *heptaticus,* quod vix me continui quominus in *heptadicus* commutarem, quamvis inaudita adhuc vox sit. Interim *hepaticus* correxi. Eiusdem classis vocabulum latet adhuc in Fragmentis Iuris anteiustinianei p. 38: *Sive autem quis arthrytricus* [l. *arthryticus*] *sit sive posicus sive epilempticus sive orbus et his similia, excusantur.* Pro *posicus,* quod nihili est, lege *phthisicus,* scilicet olim scriptum PTISICVS.

Latina dictione] Gud. *dictione Latina.*

Herebus] Exstat adspiratum apud Val. Probum Cathol. p. 1462 Putsch.

scilicet] Gud. *scilicet vel;* Guelph. *secundum.* In eiusmodi aetatis scriptore *sequi secundum* fortasse tolerari posset.

Eremus plerique aspirant. Sed cum apud Graecos psilen, non dasian appositam habeat, procul dubio aspiranda non est. Aspiramus praeterea .e. ante .r. in herus, ut in dativo et ablativo ab ero verbo futuro sum, es, est habeat differentiam; et in haereo verbo, ut in secunda persona singulari imperativi ab aere ablativo discrepet. Herba etiam, heruca, herugo, heri, hericius, herinacius, Herennius, Hermus aspirantur, quoniam sunt ab haereo derivata. Herba enim dicitur ab haerendo radicibus. Heruca et herugo dicuntur, quia tenaciter rebus, quas occupant, inhaereant. Heri inde perhibent dictum, quia hesternus dies hodierno cohaereat sine diei alterius interpellatione. Hericius sive herinacius ab eo, quia setis haereat, vel horreat. Herennius proprium nomen viri ab haereo et

---

Eremus] Gud. *Heremus*, et mox *vel* pro *non* ante *dasian*.

herus] Aspiratione tamen in codicibus vetustioribus passim destituitur. Vide Maium ad Frontonis Epist. p. 412 ed. Rom.

interpellatione] Sic Gud. In Guelph. *interpolatione*.

nomen] Abest a Guelph., addit Gud. Fortasse omitti potest, sicuti apud Graecos *κύριον* absolute dicitur: uti in Lexico de spiritibus a Valckenario edito fere semper. Contra in Harpocrationis principio: *Ἄβαρις, κύριον*, codex Heidelbergensis *ὄνομα* adiicit: et sic Harpocration constanti usu. Ac nude *proprium* re vera Beda de Orthogr. p. 2344. Putsch. passim.

annis compositum: quoniam veteres filiis suis nomina imponebant, multos eis annos quasi praesagientes. Soliti enim erant veteres ex futuris eventibus filiis imponere nomina, ut Felix, Fortunatus, Victor et similia. Hermus vero nomen fluvii est haerentis limo et non adeo decurrentis. Herodius quoque ab haerendo unguibus dictum quidam existimantes aspirandum putant: sed re vera Graeca dictio est et apud

---

filiis suis] Gud. *suis filiis.*

eis] Guelph. *ei,* Gud. *ei.*

Soliti enim erant veteres etc.] Quare Consul in scribendo exercitu summopere laborabat, ut inter milites, quos colligeret, essent qui nominibus bene auspicatis gauderent, ut *Valerii, Salvii, Statoris* et quae sunt huius generis alia. Vide Schol. ined. ad Cic. orat. pro Scauro, ibique Heinrichium p. 51. Simile est illud apud Gellium IX, 2. *Simili autem exemplo,* inquit, *ex contraria specie antiquos Romanorum audio praenomina patriciorum quorumdam male de re publica meritorum, et ob eam causam capite damnatorum, censuisse ne cui eiusdem gentis patricio inderentur: ut vocabula quoque eorum defamata atque demortua cum ipsis viderentur:* ubi vide intpp.

Hermus] Guelph. *Herinus,* Gud. *Herennis.* De Hermo Lydiae fluvio aureas arenas secum trahente ideoque turbido et limo adhaerente consulas Emmenes. ad Virg. G. II, 137.

et non adeo decurrentis] Suscepi ex Gud. Absunt a Guelph.

Herodius] In lapide Gruteri p. DXL, 2 exstat ERODES.

Graecos psilen superpositam habet, unde constat non aspirandum. Heres quidam ab aere, quidam ab haereo, alii ab hero derivatum dixerunt, unde aspirandum et non aspirandum secundum diversorum opiniones videtur. Ut autem aspiretur, magis usus obtinuit.

19. .E. ante .s. aspiratur in Hesperus, Hesperia, Graecorum aemulatione: et haesi et haesito, quia sunt ab haereo: et in hesternus, quoniam ab heri est.

20. .E. ante .u. aspiratur in heus adverbio vocandi et in heu adverbio respondendi vel interiectione dolentis, quia et vocationes et responsiones huiusmodi et doloris voces cum augmento spiritus consuerunt proferri.

21. .E. ante .x. aspirant Graeci in hex, quod et nos facimus, si alicubi vel dictionem hanc vel aliam, quae ab ea derivatur, locamus, ut hexametrum, hexagonum. .E. si nomen vel

---

psilen] Gud. *spilen.*

haereo] Sic Gud. Alter codex *aereo.* Ille mox *ero* pro *hero:* de qua varietate vide supra. Haud mala autem haec vocis derivatio, modo non repugnaret prosodia. Festus enim: *Heres apud antiquos pro domino ponebatur.*

autem] Gud. *vero,* et mox *etiam* pro *quia.*

augmento] Guelph. *augumento:* illud Gud., qui mox *consuevere.*

hex] Sic Gud. *Hexa* Guelph., qui mox *hexigonum,* ubi Gud. *exagonum.*

praepositio fuerit, nec diphthongatur, nec aspiratur. Si vero plurale nomen est a pronomine haec, et aspiratur et diphthongatur, ut hae. Plurale vero pronomen, quod est ab ea, licet monosyllabum sit, tamen per duo .ee. sine aspiratione scribitur et posteriori diphthongatur.

22. .I. ante .a. aspiratur in his quae a verbo hio, as sunt tracta, ut hiatus, hiatio. Cur autem aspiretur, hoc suo loco docebitur.

23. .I. ante .b. aspiratur in hibex, sicut apud Graecos, et hibiscus, quod ab hibex est derivatum. Est enim hibiscus terrae fetus hibicibus gratus ad edendum. Hybernus quoque recte aspiratur a plerisque: quod scilicet nomen vel ab eo, quod est hyems, vel ab eo, quod est imber, Priscianus asserit posse derivatum videri. Sed si ab hyems, per .h. et .y. sine dubio scribi debet: hyems indubitanter tractum est

---

nec diphthongatur, nec aspiratur] Gud. *nec asp. nec diphth.*

nomen] Gud. *pronomen.*

ut hae] Ex Gud. sumpsi: in Guelph. desunt, ubi mox *Si vero plurale pronomen;* Gud. ut vulgavi.

sit] Abest a Gud., in quo ante *aspiratione* mox *.h.* additur.

hiatio] Vocem non agnoscunt Lexica.

docebitur] Gud. *dicetur.*

et hibiscus] Gud. *et in hibiscus,* et mox *comedendum.*

Priscianus] Lib. II. p. 595. *Ab hyeme quoque vel hymbre hybernus fit.*

a Graeco hyo, quod est pluo. Unde hydor, aqua, et hyetos, quod est pluvia, et Hyades, nomen pluvialium stellarum, derivata sunt. Si vero ibernus ab imbre perhibetur derivari, neque per .y. neque cum aspiratione scribatur. Imber enim a Graeco *ὄμβρος* ortum est per commutationem .o. in .i. et *ρος* in er, cui scilicet nomini non dasian, sed psilen superscribunt. Unde in Deuteronomio, ubi »sicut imber super gramen« habemus, apud Graecos legitur [*ὡσεὶ ὄμβρος ἐπ' ἄγρωστιν*]; et in Cantico trium puero-

---

quod est] Absunt a Gud.

derivata sunt] Haec ex Gud. adscivi, in Guelph. omissa.

perhibetur] Guelph. *peribetur.*

superscribunt] Idem *suprascribitur.* Supra §. 18. *superpositam.*

Deuteronomio] Guelph. *dei tetrinomio,* Gud. *deutronomio.* In utroque mox *hēmus* pro *habemus* exaratum. Deinde Graeca, quae sequuntur, in Guelph. desunt omnino, at spatio relicto vacuo. Gud. utroque loco vitiosus: priori enim habet *ὡς ομβρος ἐπιπρος την,* altero *ἐλοσητέας ὠμβρος,* praeterea post *benedicite* adiecto *deus.* Quare Graeca ex ipso LXX contextu addidi, uncis coercita, ex Deuteron. III, 2, 3. Alter locus exstat in libro, qui inscribitur *Τῶν τριῶν παίδων αἴνεσις,* ubi post *ὄμβρος* sequuntur *καὶ δρόσος τὸν κύριον,* unde Gudiani *deus* natum, scilicet *deum.* Caeterum Latina translatio, qua Noster hic utitur, a vulgata ita discrepat, ut operae pretium putaverim eum facturum, qui de auctore huius conversionis amplius quaereret.

rum, ubi apud nos dicitur »benedicite omnis imber,« Graeci habent [εὐλογείτω πᾶς ὄμβρος]: in quibus profecto locis sicut et in reliquis ὁ ὄμβρος aspiratione caret. Quare nostra sententia hybernus ab hyeme potius tractum asseveratur et per .h. et .y. haec dictio scribenda est.

24. .I. ante .c. aspiratur in hicon Graeco: hicon, parabole, paradigma species sunt similitudinis; et in hic, quia a Graeco ὁ tractum est, ut diximus. .I. ante .d. non aspiratur.

25. .I. ante .e. aspiratur in futuro optativi et in praesenti coniunctivi illius verbi, quod est hio, as, hiem, hies, hiet et caetera. .I. ante .f. .g. .h. .i. .k. non aspiratur.

---

profecto] Sic Gud. In Guelph. *fecto.*

et per] Pro *et* Gud. *ut*, mox post *scribenda* addens *est*, quod in Guelph. omissum.

parabole] Uterque *parabolae*, vitiose. Mentione enim iconis usus, Noster tres similitudinis species laudat secundum rhetorum disciplinam, qui inter εἰκών, παραβολή et παράδειγμα, quamquam inter se cognata sint, distinguendum esse docent. De quo discrimine adeas Ernesti Lex. rhet. Graec. h. v.

ὁ] Deest in Guelph. Gud. *ὑ. ὑ.* Vide ad §. 3.

.I. ante .d. non aspiratur] Sic ex Gud. Nam Guelph. *Ante .d. non aspiratur .i.*, ac hoc ordine inverso codex in seq. plerumque, cui Gudiani auctoritatem praetuli, litterae, de qua agitur, notam anteponentis. Sed hanc varietatem ubique porro annotare, non tanti visum.

26. .I. ante .l. aspiratur in hilaris, hilaro, as, Hilarius, quae omnia a Graecis sumpta sunt.

27. .I. ante .m. aspiratur, ut hymnus, hymenaeus, quae a Graecis accepimus.

28. .I. ante .n. aspiratur in hinc, hinnio. Hinc aspiratur quia ab hic oritur; hinnio vero quia cum augmento spiritus hinnitus profertur. Hin quoque nomen mensurae Hebraicum aspiramus, ut ab in differat praepositione.

29. .I. ante .o. aspiratur in hio, as quoniam in hiando maior fit spiritus. .I. ante .p. et .q. non aspiramus.

30. .I. ante .r. aspiratur in hir, hirsutus, hirtus, hircus, hircuus, hirudo. Hir aspiratur quoniam ab haereo verbo derivatur; hir enim volam significat. In volis autem dicunt physici poros magis cohaerere sibi quam in caeteris corporis partibus; unde et hae partes corporis solidiores caeteris sentiuntur. Quidam enim putant hir ideo ab haerendo trahi, quoniam

---

hilaris] Apuleio, si accurate loqui voluisset, *hilarus* dicendum fuisset: antiquiores enim ad Terentii usque aetatem forma tantum *hilarus* (ἱλαρός) usos fuisse, egregie demonstravit Bentleius ad Terent. Adelph. II, 4, 22.

quae a] Sic Gud. Guelph. *quia.*

augmento] Guelph. *augumento:* illud Gud. Cf. ad §. 20.

in hio] Gud. *ut hio.*

hirudo] Omittit Guelph. In Gud. *hirucio.* Uterque mox *porros.*

palmas figentes rebus quibuslicet soleamus haerere. Hirsutus ab horreo vel haereo traxit aspirationem: hirsutus enim quasi horrens, vel haerens setis dictum. Hirtus autem per sincopam fit ab eodem. Hircus quoque ab hirsuto vel hira dicitur tractum. Quidam vero existimant hircos dictos ab oculorum angulis, quos hircos vocant, ad quos frequenter lasciva illa animalia contorquere luminis aciem consuerunt. Marcus vero Terentius, quod etiam superius commemoravimus, dicit hircum a Sabinis acceptum per commutationem .f. et .h. Hircuus ab haereo traxit aspirationem. Dicunt enim hircuum, quod inibi haereant oculorum lumina, non ultra sese movere valentia. Hirudo ab haerendo carni dicitur.

31. .I. ante .s. aspiratur in hisco, hispidus,

---

haerens] Guelph. *haeres.* Gud. *quasi haerens.*

Hirtus] Gud. *Hirsutus.*

ab oculorum angulis] Fons ineptae huius interpretationis est Virgilius Ecl. III, 8. *Novimus et qui te transversa tuentibus hircis,* ubi veram explicandi rationem iam Servius monstraverat. Nec tamen aliter de vocis origine statuerat Apuleius maior, cuius vide fragmentum in Maii Praefatione.

consuerunt] Gud. *consueverunt.* Vide ad §. 20.

Marcus vero Terentius] Vide ad §. 13.

dicit] Gud. *dixit.*

Hircuus] Formam *hirquus* vetus tenet codex in Virgilii l. c., ubi v. Emmenes.

valentia] Sic Gud. In Guelph. *volentia.*

Hispanus, historia, Hisidorus et in dativo vel ablativo his articularium pronominum. Hisco aspiramus, quia est inchoativum ab hio; hispidus, quia horrens pilis dicitur, et propterea aspiratur. Hispanus autem, historia, Hisidorus aemulatione Graecorum aspiramus. Sunt qui Hispanos a quadam stella autumant nuncupatos: sic quoque aspirationis notam a principali suo trahens aspiratur. His dativus vel ablativus ab is verbo habet differentiam per aspirationis notam, quam a suo singulari traxit. .I. ante .t. non aspiratur.

32. .I. ante .u. aspiratur in hiulcus, quod ab hio tractum est. Hi vero pluralis nominativus ab eo, quod est hic, aspirationis notam traxit et habet differentiam per eam ab .i. verbo.

33. .Y. in principalibus syllabis ubique aspiratur Graecorum aemulatione, ut hyo, hyades, hyetos, hyena, hydor, hydra, hydria, hyber, hyberus, hyble, hybleritus, hybleus, hypocrita, hypostasis, hysopum. Ideo autem huic litterae ubique superscribunt Graeci *δασίαν*. Cum sic in tenuem spiritum sonus ipsius desinit, ita procul dubio a grossiori incipit.

34. .O. ante .b. non aspiratur. Ante .c. aspi-

---

vel ablativo] Gud. *et in abl.*

Hisidorus] Vide ad §. 9.

vel ablativus] Sic Gud. *Sive abl.* Guelph.

hybleus] Gud. *hybletus.* Quod praecedit *hybleritus*, quid sit, ignoro.

Ante .c. aspiratur in hoc] Absunt a Gud.

ratur in hoc. .O. ante .d. et caeteras litteras usque ad .l. non aspiratur.

35. .O. ante .l. aspiratur in holon Graeco et venientibus ab eo, ut holocaustum, holocarpoma, hologramma, holympus, holor. Holympus quasi hololampus, id est totus flammeus. Holor enim dicitur, quasi holoorus, id est totus formosus. Olos enim totus; oros vero interpretatur formosus. Olus plerique aspirant; sed sive ab oleo vel olo veniat, sive ab olla, ut quibusdam placet, merito caret aspiratione.

36. .O. ante .m. aspiratur in homo, quod ab humo ortum est. Humus cur aspiretur, suo loco dicetur. Facit etiam aspiratio differentiam in obliquis huius nominis ab obliquis illius, quod est omen, inis. Concordat etiam in hoc nomine, quod est homo, aspirationis nota cum re significata. Quoniam enim hoc nomen praeter aspirationis signum notum est in facie hominis notari, nota aspirationis annexa signum est divinae hominis faciei annexae, de qua facie

---

holocarpoma] Uterque Cod. *holocarpama.*

holympus] Utroque loco Gud. *holimpus.*

Olus plerique aspirant] Sic Fronto Epistolis p. 13. ed. Rom. ubi v. Maium. Ibidemque p. 208. Codex *holuscula* fert.

aspiretur] Gud. *aspiratur*, et mox *huiusmodi* pro *huius*.

annexa] Gud. *connexa*, Guelph. *innexa.*

scriptum est, »et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.«

37. .O. ante .n. aspiratur in honor, ut alter eius nominativus, qui est honos, ab onos, quod asinum significat, habeat differentiam. .O. ante .p. .q. non aspiratur.

38. .O. ante .r. aspiratur in hora, cum tempus significat, in hortor, horreo, horreum, hordeum, horum. Hora, cum significat tempus, aspiratur imitatione Graecorum. Differt quoque ab ora, quod significat finem. Hortor aspiratur, ne ab orior frequentativum esse videatur. Horreo aspiratur, ut ipse aspirationis horror cum eiusdem verbi significatione concordet. Hordeum per commutationem a Graecis sumpsimus, on conversa in um. Horreon enim Graece, horreum Latine. Marcus tamen Varro in libro de origine Latinae linguae ab hordeo horreum derivatum aspirat, hordeum vero ab horrore tractum dicitur. Alii putant hordeum ab oriendi celeritate dictum ideoque non aspirandum. Nobis veri similior prior ethimologia videtur. Horum pronomen articulare cur aspiretur, iam claret. Hortus, horti, quamvis ab orior veniat,

---

et inspiravit] Post haec Gud. addit *deus.* Locus exstat Genes. II, 7.

conversa in um] Gud. *in um conversa.*

Varro] Locum non invenio. Gudianus mox *linguae Latinae.*

dicitur] An *dicit?*

claret] Gud. *clarum.*

plerique aspirandum putant, ut ab ortus, huius ortus, ortui pro origine et ab ortus, orta, ortum participio differat.

39. .O. ante .s. aspiratur in hos accusativo, et in hostis, hostio quartae coniugationis verbo, quod est aequo et in venientibus ab his, ut hostia, ae, hostorium, lignum quo modius aequatur. Hos, quamvis aspiretur, propter suum singulare tamen differt ab eo, quod est os, oris et os, ossis. Hostis autem aspiratur, ut per ge-

---

hostorium] Sunt ex Prisciano p. 688. ad verbum desumpta. Videtur vox serioris aetatis esse, cuius loco antiqui *radius* dicebant: quae vocis significatio in Lexicis Latinis omitti solet, scilicet ipsa Plauti auctoritate adstruenda, quam Caelius Rhodig. Lect. ant. X, 4 servavit: »Ut ea, inquit, sit vocis huius desinentia, quae in hostorio est et amatorio. Signat autem hostorium radium sive instrumentum, quo raduntur mensurae. Plautus:

Dii deaeque omnes, tantam nobis laetitiam,
Tot gaudia sine radio cumuletis.«

Quae verba propter Plauti locum, quem in editis reperire nondum contigit, valde memorabilia sunt. Inexspectato igitur Comici reliquiae fragmento augentur, etiam aliis aliquando augendae, in quibus fragmentum ex *Oedipode* fabula Plauti adhuc incognita producam. Caeterum Plauti hic locus Forcellinum non latuit, qui v. *radius* eadem verba exscripsit, nisi quod *cumulent* habeat, nulla tamen auctoritate adducta: ille enim: »quidam Lexicographi, inquit, afferunt haec verba Plauti, quae ego apud hunc ne in suppositis quidem invenire potui.«

Hostis] Omnia quae de h. v. Noster habet, ad

nitivum pluralem ab eo nominativo, quod est ostium secernatur, vel ideo aspiratur hostis, quod a verbo hostio derivatur, quod aequo significat, quoniam in hostium conflictu quaedam consuevit fieri aequatio ordinum. Concordat etiam in hoc nomine aspirationis signum cum re, quae significatur. Ita enim effigiatur nota aspirationis secundum veterem scripturam, quasi biceps gladius inter duas hostiles partes, hoc modo, ⊢. Hostio verbum per signum aspirationis differt ab dativo et ablativo nominis eius, quod est ostium. Hostium tamen et hospes plerique aspirant, sed cum hostium ab osto et iterum hospes ab ostio derivata dicantur, minime sunt aspiranda. Ostio verbum ponit Augustinus in IV libro de civitate dei. Ospes ospitis quasi ostium petens, vel ospitium petens.

---

verbum paene sumpsit ab Apuleio maiore §. 50., ubi vide.

secernatur] Sic Gud. et Apuleius maior: Guelph. *secernetur*. Mox ipsum signum aspirationis a Gud. abest: eius loco est *vel*.

et ablativo] Gud. *vel abl.*

et iterum hospes] *Iterum* ex Gud. sumpsi.

derivata dicantur] Omittit Gud.

Augustinus] Lib. IV. cap. 8. *quia veteres aequare hostire dixerunt.*

Ospes ospitis] Non sua sola culpa ineptiit Apuleius, scilicet hanc scripturam vocis aspiratione destitutam in vetustis codicibus offendens: vide Codicem Symmachi Vaticanum a Maio vulgatum p. 23.

Ospitium vero, quasi oris spicium hoc est frontis spicium. Ostium vero, quasi oristicium hoc est oris tenens officium. Hostis etiam potest esse ab osto, as, quod est pello, unde Gregorius: »Osta, pater, osta;« nam a propulsandis inimicis hostes sunt dicti. Aspiratur tamen hostis causa differentiae hostium et ostium. .O. ante caeterarum aliquam non aspiratur.

40. .V. ante .b. aspiratur in huber, quoniam a Graeco hyo, quod significat pluo, habet derivationem. Ante .c. aspiratur in huc, quod derivatur ab hoc.

41. Ante .d. aspiratur in hudus, quoniam a Graeco hyo, quod est pluo, habet originem, vel ut quibusdam videtur, quoniam per sincopam fit ab eo, quod est humidus. .V. ante .e. .f. .g. .h. non aspiratur. .V. ante .i. aspiratur in huius, huic, et hui interiectione, ratione praefata. .V. ante .k. non aspiratur.

Gregorius] In Guelph. per compendium $\widetilde{gg}$ scriptum, uti alias saepe, unde factum ut cum eo nomine nonnunquam *Georgius*, similiter compendifactum commutaretur. Idem in Graecis accidit: exemplum dabit Goettlingius ad Theodos. Gramm. p. XVI.

causa] Gud. *quasi*.

.O. ante caeterarum aliquam non aspiratur] Haec verba hic unicus Gud. Inepto loco Guelph. supra exhibet post verba *de civitate dei*.

hudus] Guelph. *udus*, qui mox male *hudus* pro *humidus*, quod in Gud. est.

.e.] Deest in Gud.

42. .V. ante .l. aspiratur in hululo, quoniam ab hui interiectione oritur.

43. .V. ante .m. aspiratur in humeo, quod ab hyo Graeco derivatum est, et in humus, quod venit ab humeo, et inde homo, humanus, humilis, humerus, quae omnia fiunt ab humo. Humare dicitur humo operire; humeo vero humorem teneo, unde humesco, humilis, quasi humi acclivus. Humerus vero ab humo ideo dicitur, quoniam humeri instar humi sufferendis oneribus sunt apti. Humanus iuxta litteram ab humo, secundum sensum ab homine convenientius videtur derivatum; sed a quolibet horum derivetur, aspiratio non movetur. .V. ante .n. aspiratur in hunc. .V. ante nullam autem aliarum litterarum aspiratur.

44. Hactenus de Latinis dictionibus, nunc de barbaris. Barbararum vero dictionum, si quas in usum nostrum admittimus, eas dumtaxat aspirare debemus, quas auctoritate eiusdem linguae peritorum aspirandas noverimus. Ita enim aspiramus Hiram, Hiras, Histop, Hisposeth, au-

---

quoniam] Gud. *quod.* Ex eodem solo mox addidi *interiectione.*

aspiratur] Omittit Gud. et mox habet *in* pro *inde.*

fiunt] Gud. *sunt.*

homine] Idem *homo.*

derivetur] Hoc Gud. addit: deest in Guelph.

Ita enim aspiramus] Haec verba solus Gud., qui sequentia statim nomina propria per *y* scripta exhibens, caeteroquin *Hystoseth* praebet.

ctore Hieronymo, linguae Hebraicae indubitanter perito. Ita Heinricus, Humbertus et quaedam alia virorum nomina, quae moderno a Transalpinis accepimus, aspiramus, quoniam constat testimoniis eiusdem linguae peritorum, quod haec nomina ab eisdem Transalpinis non sine aspiratione spiritus proferantur. Sunt tamen qui putant huiusmodi vocabula egregiorum virorum gratia aspirari, ideo quod ipsum generale honoris vocabulum non sine aspiratione notatur. Et de principali quidem aspirationis nota, quae in dictionibus capitalem obtinet locum, hucusque satis factum videtur; nunc de media videamus.

45. In medio vero dictionum praeaspirantur vocales, quando dictiones principaliter aspiratae cum praepositionibus componuntur, ut habito, inhabito, cohabito, inhabilis, posthac, exhalo, exhaurio, prohoemium, adhaereo, cohaereo,

---

aspiratione] Sic Gud. Alter cod. *asperitate.*

nota] Abest a Gud., ex quo mox *locum* addidi, quod in Guelph. omittitur.

vero] Gud. *verbi.*

prohoemium] Quamquam a Graeca origine vox haec nullam aspirationis notam nanciscatur, tamen, addicentibus passim codicibus vetustioribus, videtur voci adspiratio a veteribus non sine causa adiecta esse, videlicet ut hiatum in ipsa vocis commissura ortum tollerent. Non ferunt enim Latinae aures *o* ante *oe*, vix ante *o*. Composita enim cum praepositione *co* sequente *o* serioris maxime saeculi sunt. Ita

inhaereo, inhio, inhibeo, cohibeo, prohibeo, dehinc, exhinc, abhinc, abhorreo, perhorreo, inhorreo, adhortor, exhubero; et in simplicibus, traho, prehendo, vehemens, cohors; et in interiectionibus his, aha, vaha, ohe: haec tamen per apocopen plerumque proferimus dicentes, ah, vah. Quaeritur utrum michi et nichil per .ch. an per .h. sine .c. scribi debeant. Et usus quidem modernus obtinuit, ut .c. interponatur, sed rationabilius sine .c. scribuntur, cum in Latinis dictionibus post .c. nota aspirationis

---

non maioris facio vocem *prooeconomia*, apud Servium ad Aeneidem bis obviam. Iuncturae *oo* unum tantum novi exemplum idque peregrinum *bootes*. Quin etiam ubi *o* a vocali excipitur, Latini *h* interponere solent, uti fit in *incoho, are*. Haec enim unice genuina verbi scriptura, a Grammaticis prius tradita, nunc in codice palimpsesto Ciceronis de re publ. I, 35 (ubi vide Maium) et III, 2, atque in marmoribus inventa. Vide Erythraei Indicem Virgilii v. *inchoat*. Seebodii *Kritische Bibliothek* 1823. No. 12. p. 1100. Propius accedit *cohors*, ex *chors* dissolutum, quae originaria vocis forma fuisse videtur, in lapidibus passim obvia: vide Grut. p. LXXX, 5. CCCXLIX, 4. CCCLVIII, 3. CCCCXLIII, 3. et passim. Adde Museum Schoepflini p. 123. Neque abludit scriptura *coherceo* in codice Symmachi Vaticano, quem Maius vulgavit, Orat. II. p. 23.

abhinc] Gud. *adhinc*, qui etiam mox *ah, vah* pro *aha, vaha*.

dicentes] Soli Gud. debetur.

michi, nichil] Gud. *mihi, nihil*. Illud passim codices recentiores.

nunquam reperiatur; unde errant, qui pulcher et sepulchrum per .ch. scribenda existimant. Ad haec nunquam mi pro michi et nil pro nichil invenirentur. Namque cum .h. solam inter duas locatam vocales invenerimus, sinaeresin fieri posse videmus, ut cum prehendo dissyllabum

---

unde errant, qui pulcher etc.] Haec ex Apuleii maioris doctrina fortasse excerpta sunt, cuius hac de re fragmentum in Caelii Rhod. Lect. ant. XXIIII, 4 exstat, de quo vide Maii Praefationem.

inter duas locatam] Gud. *locatam inter duas.* Idem mox post *videmus* addit: *synaeresin supralipham intellige*, ex margine, ut videtur, ortum, quamquam utrumque de eadem re in usu fuisse Quintilianus I, 5, 17 tradiderit.

prehendo dissyllabum] Immo antiquitas paullo altior dissyllabum tantummodo novit, quod vel ex Quintiliano I, 5, 21 colligi potest. Conf. Niebuhr. ad Cic. Orat. pro Fonteio p. 56. et Conspectu orthogr. ad libros de re publ. p. 356. Itaque Plautus, si bene memini, nusquam *prehensus*, vix semel *prehendere*: nam Rud. I, 2, 3.

Neque quivi lenonem ad portum prehendere

ut integrum credam, multa sunt ut non adducar, imprimis codicum auctoritas, in lectione *ad portum lenonem* fere sibi constantium. In Aul. IIII, 10, 19.

Post id, si prehensi sumus, excusemus ebrios

vitium restituto *postidem* vel *postidea* (utrumque enim Plautinum) facile emaculaveris. Sed in his spatii angustiis talia profligari nequeunt. Quintiliani autem aetate unam iuxta alteram formam pariter in usu fuisse, concludas ex eiusdem IX, 4, 59.

et dhinc monosyllabum reperitur. Porro cum .h. cum alia pariter consonante inter duas consonantes ponimus, nunquam sinaeresin fieri est repertum. Cur vocales in mediis dictionibus aspirentur, in compositis quidem patens est causa: a principali enim suo trahunt notam aspirationis. De caeteris igitur videamus. Traho igitur aspiratur, ut in secunda ac tertia persona differat a verbo traeo, quod ex trans et eo componitur; sic enim transpono et trapono, transduco et traduco: ita etiam transeo et traeo veteres protulerunt. Veho aspiratur in medio, ut a beo, beas coniugationis primae habeat differentiam, quamquam per .b. et per .v. prin-

---

dhinc] An ita ullus Latinorum scripserit, ignoro. Verum una syllaba tantum saepe pronuntiatum fuisse, permulta testantur exempla: vide Plauti Asin. I, 1, 98. V, 2, 8. Poen. Prol. 125. I, 2, 161. Neque Plautus, credo, unquam aliter.

reperitur] Omittit Gud. et mox habet *in* pro *inter*.

enim suo] Gud. *suo enim*.

in secunda ac tertia persona] Idem *in secunda persona et in tertia*.

traeo] Nondum, credo, apud scriptorem ullum repertum est. Sic tamen Maius nuper ex codice vetustissimo in Cic. de re publ. I, 3. *tramittant* edidit, Longique auctoritate munivit. In libro V de finibus cap. 18, 49 codices nonnulli *travectus*. In Vaticano Frontonis codice varius est huius particulae in compositione usus a Maio p. 413 notatus: ibi exstant *travehit, tralatus, tramisimus*.

quamquam] Gud. *quamvis*.

cipales differant. Sed quia multorum mos est, .b. pro .v. consonante et .v. pro .b. ponere, ad maiorem utriusque verbi discrepantiam in verbo coniugationis tertiae veho aspirationis nota est iniecta, ne veho pro beo intelligeretur. In prehendo, vehemens, cohors, vaha, aha, naha, mihi, nihil ideo sequentibus vocalis .h. ponitur, ut sit signum easdem vocales augmento spiritus proferendas. Nisi enim in his dictionibus sequentem vocalem, cui praeponitur aspiratio, auctiore spiritu proferamus. Plerumque altera tantum vocalis sonare putatur, cum utramque sonemus, quoniam praecedens vocalis et consequens eiusdem sunt speciei: in prehendo enim et reliquis superius dictis vocalis imitatur eiusdem speciei vocalem. Quod si quis quaerat, cur in beem, creem, screem et caeteris huiusmodi nota aspirationis non ponatur, respondemus, ne a principalibus suis discrepare videantur: beo enim et creo et screo aspiratione carent; caeterae igitur personae horum verborum, etsi eiusdem speciei vocales habeant, minime tamen

---

.b. pro .v. consonante et .v. pro .b. ponere] Huius commutationis usus innumeris in titulis obvius est, aliquando accuratius in Sylloge inscriptionum examinandus.

augmento] Gud. *augumento:* vide supra monita.

putatur] Gud. *videtur;* mox omittit *vocalis.*

consequens] Sic idem: *sequens* Guelph.

prehendo] Gud. *prendo.*

quis] Guelph. *quisque.*

screem] Gud. *et screem,* et mox *vocalem.*

aspirantur. Sunt tamen earum, quas commemoravimus dictionum quaedam, quae etiam ob aliam causam aspirationis videntur habere notam. Vehemens enim dictum aiunt, quod vehatur eminenter; cohors vero, quod tribunus eam vel ipsa sese mutuo frequenter ad pugnam hortari soleat. Nichil quoque ex nec et hilum componitur, unde .c. et .h. quod a quibusdam interponitur, a principalibus sumpta esse videntur. Aha vero, vaha, naha, ohe, et si quae sunt aliae interiectiones, quae in medio aspirentur, gratia significationis aspirari dicuntur: sicut etiam eiusdem significationis causa quaedam in capite, quaedam in fine aspirantur, ut heu, oh. Ipse enim affectus, quo interiectiones promuntur, cogit eas interdum praeaspirari, interdum postaspirari, interdum interaspirari. Non enim ad placitum sunt verae interiectiones, velut caeterae orationis dictiones, sed naturales, unde etiam omnium sunt nationum interdum communes.

Vehemens] Prisci tamen scriptores sine aspiratione protulerunt, auctore Quintiliano I, 5, 21. Ac sic *veere* pro *vehere* vetusti codices, teste Maio ad Symmachi Orat. fragm. I. p. 9. ed. Rom. Pro *quod* Gud. *eo quod.*

vero] Abest a Gud.

vaha, naha] Idem *naha, vaha.*

sicut etiam] Idem *sicut enim.* Ex eodem mox scripsi *quaedam in fine aspirantur,* ubi Guelph. *quaedam asp. in fine.*

placitum] Gud. *pacitum.*

46. Terminalis aspirationis nota in nullis dictionibus Latinis reperitur nisi in paucis interiectionibus, ah videlicet, vah, oh, quae Prisciano teste per apocopen ultimae vocalis proferuntur, propterea quod interiectiones sunt, in quibus postaspirentur vocales. Utimur praeterea in sacris codicibus Hebraeis nominibus, in quibus aspirationis nota post tres mutas terminales habetur, videlicet post .c. .p. .t., ut Sadoch, Ioseph, Deleth. Et de terminalis aspirationis nota, quoniam nec Latinarum, nec Graecarum dictionum est, praeter memoratas interiectiones haec libasse sufficiat. Nunc de mediis disputabitur.

47. Media aspirationis nota post unam semivocalem dumtaxat, quae est .r., et post tres mutas locatur, quae sunt .p. .c. .t. Post .r. igitur locatur in exordio omnium Graecarum dictionum et in medio, si .r. fuerit terminata, ut rhetor, rheda, rhesina; in medio vero dictionum post .r., ut Pyrrhus.

48. Quando vero aspiratio locatur post .c.,

Terminalis] In Guelph. praefigitur inscriptio *De terminali aspirationis nota.*

vah, oh,] Interponit Gud. *nah,* quod non agnoscit Priscianus loco laudato I. p. 548.

propterea] Gud. *vel propterea.*

praeterea] Uterque codex *propterea.*

Nunc de mediis disputabitur] Absunt a Gud.; sed supra similiter.

dumtaxat] Debetur soli Gud.

.r. fuerit] *.r.* abest a Gud.

Pyrrhus] De huius nominis scriptura tam vetustissima quam recentiori monitum in Analectis criticis

aut erit .c. capitalis syllabae, ut Chaereas, aut praecedet eam, ut Pascha, aut sequetur eam quaevis vocalium, ut Charon, chorus.

49. De consonantibus vero hae: .m., ut Menechmus; .r., ut Chremes; .t. cum altera aspirationis nota, ut Erichthonius. Post .p. ponitur aspirationis nota, sicut post .c. locata sunt dicta. Aut enim .p. erit capitalis dictionis, ut Phedria, aut praecedet eam, ut asphaltus: sequetur vero eam quaelibet vocalium, ut phanum. De consonantibus vero hae: .l., ut Phlegethon; .t., cum altera aspirationis nota, ut Phthius; .r., ut Phronesis. Nota autem aspirationis post .t. locabitur capitalem dictionis, sicut de .c. .p. dictum est, ut thema, aut post .p. posita, ut phthongus, aut post .s., ut Sthenio: sequatur vero quaevis vocalium, ut Thais, Thoas. De consonantibus vero sola .r., ut thronus, et de tribus quidem aspirationis notis, principali videlicet, terminali ac media hic terminus habeatur.

---

p. 12, quibus nunc addas Priscian. I. p. 548. In transcursu adiicio, quae ibi de nomine Terentianae personae *Burriae* olim contenderim, ea nuper Schopenium de Donato p. 21 primum se annotare opinari.

hae] Abest a Gud., qui mox *sequatur.*

phanum] An voluit *fanum?* Mox *ut* ante *Phthius* omittit Gud. Paullo ante uterque cod. *quilibet,* sicuti et mox *quivis.*

posita] Gud. *positum.*

Sthenio] Uterque codex *Sthennio.*

tribus quidem aspirationis notis] Gud. *tribus notis quidem asp.*

APVLEIVS
DE DIPHTHONGIS *).

1. Diphthongi, quibus veteres utebantur Latini, IV erant, videlicet .ae. .oe. .au. .eu., siquidem .ei. ubique pro .i. longa habebant. Moderni vero .ei. diphthongo in sola hei interiectione utuntur. Sunt praeterea quaedam aliae diphthongi, quibus nunc utimur, quas a barbaris moderno accepimus, ut .ai. in Rainaldus,

*) Deest in Guelph. omnis inscriptio. Gud. *Apulei de diphthongis.*

.eu.] Gud. *et .eu.* In numero diphthongorum Grammatici veteres non sibi constant, vel usque ad sex progredientes: vide Lindemann. ad Pompeium p. 42. Quo antiquiores autem Grammatici, eo minor diphthongorum numerus. Priscianus I. p. 561 quatuor tantum agnoscit, quem sequitur Isidorus Orig. I, 15. Contra Alcuinus Grammatica p. 2084 ed. Putsch. quatuor illis ab Apuleio memoratis *ei* addit. Caeterum §. 1 verba ex codicibus suis Maius in Praefatione, ubi de Apuleio Grammatico agit, p. LXXVIIII protulit, a scriptura nostrorum librorum passim discrepantia.

quaedam aliae] Sic Gud. et Maii codices: Guelph. ordine inverso.

moderno] Maii codices *hodie,* et mox *Vazo* et *Guazo.*

Aimo; .vo. in Voldericus; .va. in Vazzo; .vi. in Vido, quamvis famosiores nostri temporis per .G. inchoent huiusmodi nomina, Guazzo, et Guido scribentes. Plerique autem duo .uu. scribunt, quod omnino caret ratione. His vero praetermissis ad quatuor principales diphthongos, quibus Latina utitur eloquentia, reditum faciamus.

2. De .au. quidem et .eu. nihil aliud dicendum existimamus, nisi quod ubicunque simul .au. locatae sunt et .eu. similiter, diphthongus est habenda, ut heus, Eurus, nisi cum .a. vel .e. ante .us. finalem nominum reperiuntur. Tum enim ubique .a. et .u. vel .e. et .u. abinvicem sunt divisae, ut Nicholaus, Archelaus, Alpheus, Cereus. Fere dixi, quoniam in laus et fraus .au. diphthongus est, et quoniam quibusdam Graecis utimur in .eus., in quibus imitatione Graecorum diphthongos habemus, ut Orpheus, Tideus. Et de .au. et .eu. diphthongis hucusque

---

.uu.] Nempe *w*. MAIVS in Praef.

praetermissis] Gud. *omissis* et mox *redditum* pro *reditum*.

enim] Guelph. *vero*.

in laus] Gud. omittit *in*.

ut Orpheus] *Ut* ex Gud. suscepi. Poetae tamen has terminationes pro metri commodo per diaeresin nonnunquam solvunt. Vide Consentii Artem 6. p. 9. Spalding. ad Quintiliani locum vexatissimum I, 5, 24, in quo si minus correctorem, certe interpretem adhuc desideraveris.

Tideus] Gud. *Thideus*.

Et de .au.] *De* perperam abest a Guelph.

sufficiat. Porro de .ae. et .oe. morosius disseretur, et quoniam hae diphthongi nequeunt prolatione discerni, paucis patet adintegrum, quae loca eas oporteat habere. Seriatim igitur de .ae. primum, post de .oe. tractabimus.

3. Omnis .ae. diphthongus aut principalis est syllabae dictionum, ut aequor, aut finalis, ut Musae, aut mediae, ut coaevus. Dictionum igitur, quae per .ae. diphthongon incipiuntur, nullis praecedentibus consonantibus, duae sunt, in quibus aspirationis nota praeponitur, hae et haereo. Hae videlicet nominativus pluralis ab haec diphthongatur apud nos per .ae., quoniam apud Graecos diphthongatur per .ai., quod Latini ubique faciunt: et iure .ai. in .ae. convertunt, cum apud Graecos illa eum habeat sonum, quem haec diphthongus habet apud Romanos. Haereo verbum propterea et aspirare placuit et diphthongari, quoniam in secunda persona singulari praesentis imperativi haere neque sola diphthongus neque sola aspiratio sufficere poterat ad differentiam propter aere ablativum aes, aeris et propter vocativum here illius nominis, quod est herus, heri. Plerique tamen

igitur] Gud. *ergo*.

nullis praecedentibus consonantibus] Absunt a Gud.

et haereo] Gud. *ut haereo*.

eum habeat sonum] Gud. *habeat illum sonum*. Caeterum hic locus valde notabilis quantum ad pronuntiationem Graecae diphthongi *αι*.

propter vocativum] Prior vox abest a Gud.

haec putant diphthongandum a Graeco η; tractum existimant per adiectionem .c. et conversionem .η. Graecae litterae productae in .ae. diphthongon, quod in aliis quoque dictionibus reperitur. Scaena enim Prisciano teste .η. lon-

---

.ae. diphthongon] Deest in Gud. *diphthongon.*

Scaena] Ad scripturam vocis accurate cognoscendam non alienum videtur Tortellii, quae de Orthogr. Lat. fol. 173 *recto* congessit, apponere, quum praesertim hoc ipso Apuleii, quem memorat, loco usus ibi esse videatur. »Scaena, inquit, cum .c. exili et .ae. diphthongo teste Prisciano scribitur, hocque ex antiquorum consuetudine magna, quam ex vera orthographia observari dixit. Nam cum dictio sit Graeca, nec apud Graecos diphthongum habeat, absque diphthongo etiam apud nos transferri debuit; dicitur enim Graece σκηνη. Sed iam certa est et approbata consuetudo ex antiquissimis marmorum inscriptionibus et claris auctoribus, quae per diphthongum illam scribi demonstrant. Varro tamen dixit super hac dictione variam fuisse veterum opinionem. Aliis scilicet per .e. exile sicut apud Graecos scribendum asseverantibus: aliis in signum productionis per .ae. esse notandum. Et hanc ultimam opinionem ex eadem causa confirmavit Apulegius grammaticus, ut vidimus in dictione aethica atque in dictione caera.« Hactenus Tortellius. Verum scripturam *scaena* ab Apuleio commendatam et alii Grammatici veteres et tituli ita sustentant, ut eam iuxta alteram obtinuisse dubitari haud amplius queat: quod olim iam Faernus ad Terentii Hec. prol. 8. animadverterat. Quem potissimum auctorem tum habui, quum decem ante annis et plus *scAEnicae* poeseos locos aliquot in Analectis criticis tractarem. Quae libelli mei inscriptio V. D. adeo

gam in .ae. diphthongon convertit; sic etiam caera, caerula, thaesaurus et multa alia. Sunt

---

visa est mira et singularis, ut sicubi nomine appellandus esset, quippe aut me aut typothetam correcturi, tacite *scenicae* scriberent. Ac Langium in *Vindiciis tragoediae Latinae* ab eadem vocis forma, quam Bothius ad Feae Horatium prorsus intolerabilem fastidioso nuper more suo pronuntiavit, nunc observo minime abhorruisse: vide enim ibi p. 25 et Heusingerum ad Theodorum Mallium de metris p. 121, atque Garatonium et Orellium ad Cic. pro Plancio c. 12. Ex titulis vide Grut. pag. CCCXXX, 1. 2. CCCXXXI, 4. 6. DLXXXIII, 3. Murator. Nov. thes. inscr. T. II. p. CMIV, 9. Donii Inscr. antiq. VIII, 10. p. 318. Porro uterque Frontonis codex, et Ambrosianus et Vaticanus pariter *scaena:* vide ed. Maii Romanam p. 14 et Niebuhrianam p. 249. Neque aliter Vaticanus Symmachi codex a Maio vulgatus, p. 25. Accedit denique Prisciani auctoritas, cuius aetate, quantumvis ex eius Gramm. p. 561. ed. Putsch. colligitur, vocabulum illud alio modo scribi plane non solitum videtur. Quid? Nostro auctori infra §. 12 si fides habenda est, iam Varronis aetate a Grammaticis de utraque vocabuli scriptura disceptatum fuit.

caera] Eundem locum ante oculos habuit Tortellius l. c. fol. 55. *recto.* » Caera cum .ae. diphthongo teste Apuleio Grammatico a nostris scribi consuevit. Nam licet a Graeco, quod est κηρός [impressum κηνός], traducatur, et secundum regulam illud η [impressum *.n.*] in nostrum .e. productum absque diphthongo transferri consueverit: tamen quia apud nos non est ipsius .e. producti a correpto in figura discretio, placuit ipso Apuleio teste in aliquibus dictionibus per diphthongon hoc ipsum decrevisse: ut simi-

tamen qui haec non ab ἡ Graeco, sed ab hic masculino formatum existimant per conversionem .i. brevis in .e. brevem, cui sententiae Priscianus assentiri videtur, dicens absque omni exceptione, quod pronomina in .c. desinentia breviantur. Quod vero apud auctores interdum reperiuntur producta, hanc asserit esse causam idem Priscianus, quod geminata .cc. scribebantur. Haedus scribit Terentius Varro in libris de origine Latinae linguae quibusdam placuisse per .ae. diphthongon notari, ut a verbo edo in quibusdam suis casibus discreparet; aliis vero visum esse ait, ut aspirationis nota hanc differentiam faceret, et maxime propterea, quia Sabini, a quibus Romani hoc nomen habuere, fedus dicebant, certumque est Romanos .f. Sabinorum in .h. solitos convertere. Sabini enim fircus, Romani hircus; illi vefere, Romani vehere protulerunt. Hoc vero factum est propter

---

liter vidimus in dictione aethica et videbimus in dictione scaena. Alii vero caeram Latinum putaverunt: ut in dictione diphthon. videbimus.«

ab ἡ Graeco] Sic Gud. In Guelph. *ab Graeco.* Prisciani loca mox allata in vulgatis non invenio.

apud auctores interdum] Gud. *interdum apud auctores interdum.*

scribebantur] Gud. *scribantur.*

Terentius Varro] Vide ad Nostri de nota asp. §. 13.

discreparet] Gud. *discrepet,* et mox *habuerunt.*

solitos] Idem *solitos fuisse,* et statim *firchus.*

vefere] Novum hoc saltim est: an verum, amplius quaerendum.

quandam soni cognationem, quam nota aspirationis, si fixa proferatur, cum .f. littera videtur habere. Modernis autem visum est ad uberiorem differentiam haedus per aspirationis notam et per .ae. diphthongum notare. Et de his quidem dictionibus quae per .ae. diphthongon simul cum aspirationis nota incipiuntur, satis haec dicta sunt. Nunc autem de his, quae per diphthongum sine aspiratione incipiuntur, per ordinem litterarum sequentium videamus.

4. Igitur .ae. diphthongus ante .a. apud Latinos in Latinis scilicet dictionibus non est reperire; in Graecis autem reperitur, ut Aeas, proprium nomen, vel montis; aiaso, quod significat dimitto. Ante .b. quoque et .c. .ae. diphthongo non utimur.

---

fixa] Sic Gud. pro *fixe,* ut Guelph.

diphthongon] Gud. *diphthongum,* et sic semper.

aspirationis nota] Sic Gud. In Guelph. *aspiratione.*

haec dicta sunt] Absunt a Guelph. Eadem clausula Varro librum de L. L. quartum profligat.

Nunc autem — videamus] Haec uberiora Gudianus: in Guelph. tantum, *Nunc vero per ordinem litterarum sequentes videamus.*

scilicet] Gud. *solis.*

vel montis] *Vel* abest a Gud. Sed praestat ad *montis* ex superioribus nomen repetere. Gravius vero est, quod in margine Guelpherbytani adscriptum: *vel fluvii.* Etenim Aeantis fluvii nomen satis vulgatum, montis autem plane incognitum.

quod significat dimitto] Gud. *dimitto significans.*

quoque] Deest in Gud. Mox Guelph. *diphthongon.*

5. .Ae. ante .d. reperitur in aedes, quod ab edendo secundum Varronem derivatum est, et .e., quam in diphthongo habet, a principali traxit; sed male videtur dicere, quod a principali traxit .e., cum edo brevietur in prima syllaba. Alii ab edo, quod significat compono, derivatum putantes non censent diphthongandum; sed usus magis obtinuit, ut diphthongetur secundum superiorem ethimologiam, unde aedifico quoque et aedificium, quae ab aede composita sunt. In tonsis correptisque codicibus diphthongata fere ubique reperiuntur. Ante .e. et .f. non reperitur .ae. diphthongus.

6. Ante .g. reperitur in aeger et in venientibus ab eo, ut aegrotus, aegroto. Trahit autem aeger .a. suae diphthongi ab ago verbo, a quo oriri perhibetur. Dicitur enim ab agendo cata

---

Varronem] Contra vero nunc apud Varronem de L. L. IV. p. 26 leguntur: *Aedeis ab aditu, quod plano pede adibant.* Illa vix sanior derivandi ratio.

et .e.] Gud. *et .ae.,* et mox *aedo* pro *edo.*

diphthongetur] Gud. *diphthongeretur.*

quoque et] Absunt a Gud.

In tonsis] Gud. *Intonsis.* Codices, nisi fallor, Noster intelligit palimpsestos, quos vocant. Pro *correptis* fortasse *correctis* legendum: illud saltim quid significet, haud assequor. Nec tamen scriptura vocis *aedes,* de qua verbo moneam, ubique eadem fuisse videtur. Lapis certe in Actis soc. lat. Ienensis Vol. V. p. 59. EDES fert.

diphthongus] Guelph. *diphthongon.*

perhibetur] Guelph. *peribetur.* Mox Gud. *antifrasin.*

antiphrasin, quod aegrorum sit actione vacare, vel potius ab eo quod acrius agit ex infirmitate. Ante .h. .i. .k. .l. vacat.

7. Ante .m. reperitur in aemulor, quod ab amo ortum: ab eo habet .a. diphthongi. Aemulor enim cum pro invideo vel sequor ponitur, cata antifrasin ab amo derivatur: cum vero amare significat, quod ab amo iure dicatur oriri patet. Ante .o. non utimur .ae. in Latinis dictionibus: in Graecis vero utimur, convertentes .ai. in .ae. ut aeon, Aeolus, Aeolia.

8. Ante .n. diphthongatur in aeneus, ab aere tractum: cur autem aes diphthongetur, suo loco liquebit. Ante .p. vacat.

9. Ante .q. invenitur in aequus, aequor, propterea quoniam elementum illud aequam super omnia elementa habet superficiem. Aequor non solum quod ab aqua trahitur, sed etiam propterea per .ae. notatur, quod aequam habet

---

actione vacare] Gud. *vacare actione.*

ab eo habet] Gud. *habet ab eo.*

cata antifrasin] Idem *κατα αντιφρασιν.* Superiori §. vulgavimus *antiphrasin* ad Guelpherbytanum, quem ducem nos potissimum sequi semel declaravimus, operae vix pretium putantes, apud talem scriptorem talia admussim exigere.

liquebit] Gud. *patebit.*

non solum quod] Gud. *quod non solum.*

propterea per .ae.] Idem *per .ae. propterea.*

superficiem, ut Varro et Hisidorus testantur. Aequus discrepat etiam ab equo animalis vocabulo propter diphthongon.

10. Ante .r. habemus .ae. in obliquis illius nominis, quod est aes, aeris et in venientibus ab eo, ut aero, aeras, unde subaero, subaeras: in eo etiam nomine, quod est aeripes, quod ab eo, quod est aer et pes, componitur. Virgilius in VI »fixerat aeripedem cervam, licet aut Erymanthi« .a. et .e. in diphthongon univit caussa metri.

11. Ante .s. ponitur in aestas, aestus, ab areo venientibus, et in aes, aeris, quod Marcus Varro ab asse, alii ab auri similitudine dictum putant; sed a quovis horum oriatur, liquet quod ab eo .a. diphthongi trahit.

Varro] De L. L. VI. p. 49. ed. Godofredi.

Hisidorus] Gud. *Hysidorus.*

discrepat etiam] Idem *etiam discrepat*, et mox *animali.*

.ae. in] *.ae.* solus Gud. obtulit.

subaeras] Gud. *as.*

Virgilius] Aen. VI, 802. In vulgatis Virgilii libris est *fixerit:* nostram autem lectionem *fixerat* et Charisius et codd. vetustiores nonnulli. Caeterum a Gud. Virgilii verba absunt omnino.

diphthongon univit] Gud. *diphthongo veniunt.*

aestas] Varro de L. L. V. p. 32 his derivat: *Tertium* [tempus], *ab aestu, aestas, hinc aestivum: nisi forte a Graeco αἴθεσθαι.*

Varro] Guelph. *Varo*, de qua varietate vide monita ad Apuleium maiorem. De re vide ad eundem §. 45.

12. Ante .t. locatur .ae. in aetas, aeternus, aeternitas, quae ab aevum esse orta non dubitatur, unde veteres Prisciano teste aevitas, aeviternus, aeviternitas proferebant. Ante .v. habetur in aevum, quod a Graeco *αἰών* Latini

---

quae ab aevum esse orta non dubitatur] Sic Guelph., praeterquam *quod* pro *quae*, quod ex Gud. suscepimus, exhibente *quae est ab aevum orta sine dubio.*

Prisciano] Lib. II. p. 595. *Aetas quoque, aeternus. Antiqui tamen aevitas et aeviternus dicebant ab aevo. Unde Varro in Pseudonea: »Per aeviternam hominum domum tellurem propero gradum.«*

Ante .v.] Praemittit Gud. *.ae.*

αἰών] Uterque codex *αιον*. Caeterum usus Noster videtur maiori Apuleio, quem vide §. 47. Nostrum porro Tortellius de Orthogr., ubi de diphthongis medio in libro agit, laudato ipso fonte exscripsit: »Aetas, aeternus, inquit, et aeternitas cum .ae. diphthongo scribuntur: et oriri ab aevum Apulegius grammaticus attestatur: et per syncopem dicitur quasi aevitas.« Praeterea Tortellius aliis passim locis illa Apuleii sua fecit. Sic eo loco, quo de diphthongis alphabetico vocabulorum ordine agit fol. 80. a: »Aevum, inquit, cum .ae. scribi in dictionibus graecis offendimus: atque teste Apulegio ab *ἀων* [sic] latini traxerunt .u. interiectantes hiatus causa.« Idem supra fol. 30. b: »Aevum cum .ae. diphthongo scribitur, et ab *αἴων* [sic] teste Apuleio grammatico latini traxerunt: ipsum videlicet .u. interiectantes hiatus causa vitandi.« Et fol. 79. b: »Aetas aeternus et aeternitas cum .ae. diphthongo scribuntur: et oriri ab aevum Apulegius grammaticus attestatur: et per sincopam dicitur aetas quasi aevitas.«

traxerunt, *αι* in .ae. convertentes, .v. quoque interiectantes hiatus caussa, quod etiam in ovum, bovis, navis fecerunt. Utimur praeterea .ae. diphthongo qualibet muta comitante in quibusdam Graecis, quae apud eos vel per *αι* vel pro *η* in *ι* longam incipiuntur, ut *Αἰνειας*, Aeneas; aethos, aethica: ideo scilicet, quoniam

---

interiectantes] Sic Gud. pro *interiacientes*, quod tenet Guelph. Illud praetuli propter Tortellii eodem verbo, ubi Nostrum exscribit, usi auctoritatem, quamquam in Lexicis etiamnum desideratur.

vel — vel] Gud. *non — non.*

longam] Idem *sed longam.*

aethos] Guelph. *Hthis*, Gud. *aethus.* Quod reposui, res flagitabat, comprobatumque video Tortellii auctoritate, quem hinc sua mutuantem audias duobus locis: »Similiter aeticha caera et alia nonnulla: teste Apuleio grammatico cum .ae. diphthongo scribuntur: quae ab ipso .*η*. traducuntur: ut in dictione aethica expressius declarabimus.« Idem fol. 30. a: »Aethica cum .ae. diphthongo ut nonnulli volunt: et .th. aspirato atque .i. latino scribitur. Verum secundum propriam orthographiam, quia a graeco trahitur, per simplex .e. scribenda ea dictio esset, cum apud graecos *ἠθικὴ* scribatur. Cuius prima est .*η*. quod, ut supra vidimus, in .e. nostrum regulariter traduci debet. Sed ut ait Apuleius grammaticus egregius: quia illud .*η*. apud graecos semper est productum, et apud nos non est ipsius .e. producti a correpto in figura discretio: placuit maioribus nostris in aliquibus dictionibus, quas ex graecis transcribimus, per diphthongum hoc ipsum discernere, et maxime in hac dictione, cuius manifesta videbitur ratio in dictione aethos, cuius

apud nos non est .e. productae in figura discretio, sicut apud illos, hoc est dicere, ideo apud nos diphthongatur, ut ostendatur esse longa sicut apud Graecos. Verum de huiusmodi scribit Varro exstitisse variam veterum opinionem, aliis scena per .e. simplicem sicut apud Graecos scribendum asseverantibus, aliis in signum productionis per .ae. esse notandum: et sic in caeteris huiusmodi, quod nobis rectius videtur.

---

prima secundum unam quidem significationem absque diphthongo a graecis et nostris scribitur, atque apud utrosque corripitur: secundum aliam vero producitur. Et licet apud graecos sit .η. ut eadem longa apud nostros cognoscatur, per .ae. diphthongum scribi a plerisque consuevit. Ut etiam videbimus in dictione caera et dictione scaena. traducitur autem aethica a nostris moralis.« Scripturam autem *AEthica, AEthos,* quantumvis sciam, neque codex ullus, neque lapis antiquus adhuc demonstravit. Immo ipsa vox Romanis peregrina permansit, ante Sidonium Apollinarem in Latino scriptore non inventa. Recte igitur Quintilianus VI, 2, 8: *alteram ἦθος, cuius nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus; mores appellantur: atque inde pars quoque illa philosophiae ἠθική, moralis est dicta.*

illos] Gud. *Graecos.*

diphthongatur, ut ostendatur] Gud. *ut diphthongus ostendatur.* Susceptum Guelph., praeterquam quod *ostendantur.*

Varro] Guelph. *Varo.* Vide supra. Haec ubi Varro dixerit, non invenio.

Nunc de his in quibus consonantes .ae. diphthongon praeveniant videamus.

13. Bae diphthongatur in baelua, quod Hisidorus a vastitate, alii a valentia, alii *ἀπο του βαλιου*, quod plenum significat, derivatum

---

praeveniant] Uterque codex *praeveniat.*

Bae] Gud. *Bae igitur.*

baelua] Idem *baellua.*

quod Hisidorus a vastitate] Isidori alium, quem Noster respexerit, locum non invenio, quam qui in Glossis eius misere vitiosus ita exstat: *Belues, egestas, quia solet contingere per vastationem:* quem mendis liberare non sustineo. Feliciores, credo, sumus in Ennii ex Iphigenia versu tetrametro troch. catal. restituendo, cuius voce *belua* commodum admonemur, nuper demum reperto in Ciceronis de re publica libro I, cap. 18, ubi Maius vulgavit:

cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum.

Scilicet legendum *beluae.*

alii *ἀπο του βαλιου*, quod plenum significat] Guelpherbytanam lectionem reddidi leniter a me correctam: offert enim *βαλιν.* Sed etiam haec contexta an sana sint dubitari potest. Etenim si fuerint qui *belua* a pellium variatarum sive pictarum colore, qui Graeco nomine *βαλιός* exprimitur, dictum putarent, *plenum* hoc loco pro *maculatum* accipiendum est, eodem idiomate, quo vernacule *voll* dicimus. Sed hanc significationem Latinitas non agnoscit. Neque saniora Gudianus, talia tamen quae receptam lectionem, si sensum unice respicis, quodammodo adiuvant. Habet enim: *alii autem a βαλην quod percutem significat.*

existimant. A. igitur a principali traxit, a quocunque sit.

14. Blae diphthongatur in blaesus, quod a blatero natum ferunt.

15. Cae in caecus, caedo pro verbero vel divido, caelo pro sculpo, caelum, caelebs, caepe,

---

Suspicor enim βαλιόν pariter legendum, dein ad *per cutem* excidisse adiectivum, quo βαλιόν explicaretur. Itaque si minus de contextus scriptura, tamen de sensu loci liquere nunc videtur. Sed non attinet in eiusmodi argutiis magistellorum recentiorum diutius commorari. De origine vocis quid ipse sentiam, sine cunctatione dicam. Quum certum sit, *bellua* femininam vocis probae, licet rarae, *belluus* formam esse, hoc vero a *bello* derivari, quaeritur tantummodo, unde scriptura *belua*, per unum *l* exarata, quippe quae vulgarior esse videtur, orta sit. Quam quaestionem facile solveris, quum memineris, vetusto tempore consonantes geminari solitas haud esse (vide Anal. crit. cap. 1.) atque hinc *belum*, non *bellum* dictum esse, quod certo ex antiqua scriptura *Duelius* pro vulgata *Duillius* confirmatur, quam egregie nuper Maius in Cic. de re publ. I, 1 reduxit aliisque exemplis firmavit. Uno *l* praeterea *Duilius* scribitur in Fastis Capitolinis ap. Grut. p. CCXCII. binis locis. Sed sicuti pari iure Latini procedente linguae usu *Duelius*, *Duilius* passim et *Duillius* (hoc in titulis Gruteri p. DCLXI et DCCXXXVI), ita etiam eodem tempore utrumque et *belua* et *bellua*.

existimant] Guelph. *existimavit:* propius accedit *existimat* ex Gud.

traxit, a quocunque sit] Gud. *a quocunque sit traxit.*

ferunt] Gud. *fertur.*

caera, Caesar, caesaries, caeterus, caetus vel caete. Caecus quasi captus oculis, vel ut quidam volunt, caecus, quasi carens luce dicitur et ideo per .ae. notatur. Caedo quod facit cecidi diphthongatur ut differat a cedo cessi. Caelo diphthongatur ut differat a celo pro abscondo. Caelum dictum aiunt ab eo quod sit caelatum, id est syderibus sculptum. Marcus Terentius scribit, caelum dictum a cavo. Caelebs, secundum Priscianum, caelestem vitam

---

caeterus] Hoc solus Gud., sed recte: eadem enim §. Noster eo statim respicit.

dictum aiunt ab eo quod] Gud. concisius *aiunt dictum, quod.* Mox idem omittit *id est.*

Marcus Terentius] De L. L. IV, 3 fine, ubi de origine vocis multus est: e cuius disputatione simul intelligitur, alteram, quam Apuleius recitavit, derivandi rationem Aelio Gallo, veteri Grammatico tribuendam videri. Ioci caussa libet Angli nescio cuius sententiam de origine vocis, risu vix dignam in medium proferre, expositam in Bibl. crit. I, 1. p. 65. Ille enim postquam *coelum* ab Ebraeorum *Cou-El (domus dei)* deducendum monuit, finem his facit: „*Κοιλὴ*, cognomen, quod Graeci multis urbibus dabant, non est *cava*, sed *coelestis*, a *Cou-El.* Unde et Coele Syria est sacra seu coelestis Syria. Dorica forma est *Coil* seu *Coel*, ut est apud Ausonium, non ex compendio orta, sed integra et simplex.«

dictum] Abest a Gud.

Priscianum] Lib. I. p. 547. Sed ibi *caelestium vitam ducens,* sicuti etiam Beda de Orthogr. p. 2333. Putsch., fortasse Apuleio restituendum.

ducens: secundum Hisidorum, quasi caelo beatus. Patet igitur ratio, cur diphthongetur. Hoc caepe a capitis magnitudine, Hisidoro teste. Caera a careo, eo quod mellis careat profusione, ut quidam aiunt: sed verius a Graeco *κηρος*, per conversionem tractum dicitur .e. productae in .ae. Caesar a caesa matris alvo; caesaries a crebra caesione; caeterus, caetus vel caete a Graecis accepimus, .ae. pro .e. producta positis. Sciendum quod caeterus nominativus in masculino non est in usu.

Hisidorum] Orig. XII, p. 1070. ed. Godofredi.

Hoc caepe] Exempla neutrius generis cumulat Nonius III, 69. Cf. Diomed. I. p. 314. Charis. I. p. 23. 43. Columna ad Ennium p. 188. ed. Hessel. Lucilius in Pompeii Arte p. 151. De vocis orthographia v. Koppii Palaeogr. I. p. 340.

Hisidoro] Orig. XVII, 10. p. 1261. *Cepa vocatur quia non aliud est nisi tantum caput.* Caeterum Apuleii loco Tortellius pariter usus est, fol. 80. *recto*, ubi exstant: »Caepe cum .ae. diphthongo scribitur: et a capitis magnitudine ductum dicitur. Unde primam vocalem diphthongi teste Apulegio assumpsit.«

κηρος] Soli Gud. debetur. In Guelph. eius loco lacuna est.

Caesar] Eandem derivationis rationem prodiderunt Plinius H. N. VII, 9. et Nonius XIX, 1. Caeteras plerumque ineptas, quas enumeravit Forcellinus, nihil nunc moror. Contra tamen Apuleium Marius Victorinus I. p. 2469 *cesaries* scribi praecipit causa nullius pretii allata.

caeterus nominativus] Exemplum nominativi dubitationi non obnoxium adhuc desideratur.

16. Clae diphthongatur in claemens, quod a claritate mentis dictum perhibetur, et in claerus, quod a Graeco mutatum est .e. longa conversa in .ae. Dicunt alii claemens quasi caeli mens.

17. Fae diphthongatur in faex, ut in dativo dissideat a feci praeterito, et in faecundus, quod a facio ducit originem. Ab eo enim faecundus dictum aiunt, quod faciat fructum. Dicunt tamen quidam faecundus tunc tantum diphthongandum, cum de sensibilibus dicitur, cum vero ad insensibilia, differentiae causa carere diphthongo. Frae diphthongatur in fraetus pro su-

---

claemens] Praetermissa hic est Donati derivatio ad Terentii Adelph. I, 1, 17. *Clemens autem est qui colit mentem.* At *claemens* scripturam nondum neque in lapide neque in scripto offendi.

claerus] Gud. *clerus.*

in .ae.] Idem *in .ae. diphthongo.*

claemens] Idem *clemens.*

caeli mens] Sic idem. Guelph. *celimens.*

faex] Exscripsit Tortellius fol. 80. *verso:* »Faex cum .ae. diphthongo auctore Prisciano scribitur: quod ideo fit teste Apulegio Grammatico, ut in dativo dissideat a praeterito verbi facio, quod sine diphthongo scribi feci.« Prisciani locum laudatum in editis Grammatici libris non inveni: nam libri V. p. 195. ed. Krehl. huc vix pertineant.

dictum] Abest a Gud.

insensibilia] Gud. *sensibilia.*

fraetus] Eadem fecit sua Tortellius fol. 80 *verso:* »Fraetus pro sustentatus cum .ae. diphthongo scribi

stentatus, ut in obliquis differat a freto, quod significat mare: et in fraenum, fraesus, quae utraque a frangendo dicta sunt. Fraenum dictum est a frangendo equorum ora; fraesus vero pro fractus accipitur.

18. Grae diphthongatur in Graecus, dictus a Graeco rege.

19. Lae diphthongatur in laetus: dictum a latitudine mentis, Hisidoro teste atque Varrone; et laetheus, quod a Graecis sumpsimus, .e. producta conversa in .ae.

---

dixit Apulegius, ut in obliquis differat a freto: quod mare designat.« Hoc praeter Nostrum qui praeceperit equidem novi neminem.

Fraenum dictum est a frangendo] Immo a *frendendo*, de quo verbo adeas Emmenesium ad Virg. G. IV, 452.

est] Abest a Gud.

fraesus] Alii scribere malunt *fresus*, vel etiam *fressus:* illam formam nondum reperio annotatam: vide Forcellinum.

Graeco] Guelph. *Graco.*

Hisidoro] Orig. I, 17. p. 839. *Laetus per .ae. diphthongon scribitur: quia laetitia a latitudine vocata est, cui contraria est tristitia, quae angustiam facit:* quae verba sua fecit Grammaticus ineditus in Sinneri *Catal. Codd. MSS. Bibl. Bernens.* p. 447.

Varrone] Guelph. *Varone.* Locus est de L. L. V, 6. p. 38: *Laetari ab eo quod latius gaudium propter magni boni opinionem diffusum.*

laetheus] Gud. *laeteus,* mox *versa in .ae. diphthongum.*

20. Mae in maereo, unde maeror, ut differat a mereo, quod facit praeteritum merui. Hoc tamen verbum frequentius deponens habetur posteris: convenienter tamen dicitur, quod maereo a marceo, unde marcesco, .a. diphthongi habeat, quoniam, ut Marcus Terentius ait, maereo dicitur eo quod corpus etiam marcescere faciat.

21. Nae diphthongatur in naenia, naevus. Naenia a nanus; nanos enim veteres parvos dicebant, unde naeniae frivola et inania aliqua, qualia scilicet parvuli actitare solent. Quidam autem naenia ab inani per demptionem primae vocalis asserunt derivatum. Naevus autem nativa macula dicitur, unde a nativo naevus dictum perhibetur.

---

maereo] Hinc profecit Tortellius fol. 81 *verso:* »Maereo cum .ae. diphthongo scribitur: et primam diphthongi vocalem a marceo unde deducitur assumere dixit Apuleius. Nam teste Varrone maereo dicitur eo quod corpus etiam macescere facit. Alii vero diphthongari dixerunt ut a mereo verbo differat: quod facit praeteritum merui etc.«

diphthongi habeat] Gud. *diphthongum habuit.*

Marcus Terentius] De L. L. V. p. 38.

corpus etiam] Gud. *etiam corpus.*

naenia] Aliam derivationem haud saniorem tradit Diomedes III. p. 482.

parvos dicebant] Gud. *dicebant parvos.*

parvuli] Idem *pueri*, et mox *adiectionem* pro *demptionem.*

naenia] Uterque codex *naenias.*

22. Plae in plaerus *απο του πληρεος* per conversionem .e. productae in .ae. Prae in praepositione, quam profecto habemus a Graecis per commutationem *αι* in .ae. Omnia quae per prae producta inchoantur, diphthonganda sunt, quoniam a prae praepositione sive per derivationem sive per compositionem trahuntur: et per derivationem ut praeter, per compositionem ut praehibeo, praedico, praeconor et infinita alia. Sunt tamen dictiones quae per prae inceptae, non a prae oriri videntur, ut praebeo, praeco, praeda, praelum, praelium, praeputium; sed si subtilius discutiantur, cuncta a prae oriri videntur. Praebeo namque quod significat trado, ex prae et habeo compositum est: is enim qui aliquid tradit, id praehabere recte dicitur. Nisi enim id quoquo modo praehaberet, alii praebere nequiret. Praeco quasi praecino dictum

---

πληρεος] Guelph. *πληρω*. Tortellius fol. 81 *verso:* »Plaerus cum .ae. diphthongo scribi dixit Apuleius: et a πλῆρος per conversionem .e. productae in .ae. diphthongum deductum dixit. Nec tamen est in usu.«

Graecis] Gud. *Graeco*, et mox *conversionem* pro *commutationem*.

producta] Gud. *productam*.

alia. Sunt] Idem *alia sunt. Sunt*.

praelum, praelium] Idem *praelium, praelum*.

Praebeo namque quod] Gud. *ut praebeo quod*.

compositum est] Addit idem *praebeo*.

Praeco] Priscianus XIV. p. 997. *Praeco quoque a valde canendo dictus est*.

ex praeconor, quod est ex prae et cano compositum. Praeda vero dicitur quod ante datum accipitur: non enim ea praeda est, quam datione possidentis accepimus, sed quam ante dationem vi rapimus. Marcus vero Terentius scribit praedam a pariendo dictam, quasi paritam. Praelum ex prae et luo, quod in eo fluiturus humor praeluatur et purgetur. Praelium a praelo, quia sicut in praelo humor uvarum vel olivarum, ita in praelio sanguis funditur hominum. Praeputium dicitur inde quod membris pudendis sive putentibus praeemineat. Et ita nulla prae longa in principio est, quae non a prae videatur ortum habere, si discussius fuerint et diligentius investigata. Praes a praestando fidem dicitur, Varrone teste. Praetor a praeeundo nomen accepit, diciturque praetor quasi praeitor.

23. Quae diphthongatur in quae nomine, ut a que differat coniunctione. Astruunt quidam

---

rapimus] Gud. *reperimus.*

Marcus vero Terentius] De L. L. IV, 16. p. 29: *Praeda est ab hostibus capta, quod manu parta, ut parida* [malim pariter *parita*] *praeda.*

praeluatur] Nova haec vox, vix a Grammatico inventa.

funditur] Gud. *fluitur*, et mox *abinde.*

praeemineat] Idem *praemineat.* Utramque formam passim MSS.: illa tamen unice vera.

si discussius — fidem dicitur] Absunt a Gud.

Varrone] De L. L. V, 7. p. 42.

quod quae ab Ablativo qui et qua per derivationem sit tractum et ab eo .a. diphthongi adeptum. Diphthongatur praeterea quae in omnibus principalibus syllabis productis omnium dictionum, ut quaenam, quaedam, quaepiam: quoniam certum est a quae nomine habere originem. De quaero fortassis ambigitur, utrum a quae nomine derivetur. Sed ut Marcus ait Terentius: quaero ex quae et res componitur; prope enim quaerere est, quae sit res aliqua investigare. Quodsi cui haec displiceat compositio, audiat quaero propterea diphthongandum, ut passivum eius quaeror a deponenti queror per diphthongum differat. Quaeso a quaero derivatum; ab eo est diphthongon principalis syllabae nactum.

24. Rae diphthongatur in raete dicto, quod rapta teneat.

25. Rhae in Graecis dictionibus reperitur .e. producta commutata in .ae. diphthongon apud Latinos, ut rhaetor, rhaetorica, rhaeda, rhaesina.

26. Sae diphthongatur in saeculum, saepe, saetius. Saeculum per .e. breve deberet notari,

---

diphthongi] Gud. *diphthongum.*

Marcus ait Terentius] De L. L. V, 8. p. 42. Sed haud integer videtur locus esse.

aliqua] Omissum in Gud.

rhaetorica] Gud. praemittit *et.*

Saeculum] In his Noster Apuleio maiore, quem vide in principio libelli, quamvis libere usus esse videtur.

deberet] Gud. *debet,* et mox *plene* pro *plane.*

quoniam a sequor vel, ut placet Varroni, a sene derivatum est. Sed quia rem productissimam designabat, placuit ut eius principalis syllaba significationis caussa produceretur et per diphthongon plane dignosceretur. Saepe adverbium diphthongatur ut a sepe differat ablativo. Saipos Graecum est adverbium per conversionem .ai. in .ae. Spae diphthongatur in spaeculum, spaelunca, propter eandem caussam.

27. Tae diphthongatur in taeda, taedet, taelum, taela. Taeda ortum a Graeco δαδα, quod significat luminare: .a. diphthongi traxit a principali. Taedet a Graeco tailon, quod significat longum per conversionem .ai. in .ae. et .l. in .d. Longitudo enim atque prolixitas actionis sive passionis alicuius taedium generare solet. Ab eodem quoque tailon taelum et taela. Taelum a longo iactu vel longitudine hastae dictum perhibent. Tae diphthongatur in Taenarus, quod

---

Varroni] Guelph. *Varoni.* Locus exstat de L. L. V, 2. p. 32.

Saipos] Hoc non intelligo.

δαδα] Guelph. *tada.*

luminare] Gud. *lunare,* et statim *diphthongum.*

tailon] Gud. *τηλον.*

generare] Gud. *gravare.*

quoque tailon] Gud. *ταλον quoque.*

Tae] Guelph. et Gud. *Trae,* et mox *traenarus,* et *trainaros:* pro hoc tamen Gud. *Τρηναρος.*

Graeci tainaros scribunt. Thae diphthongatur in Thaebe, thaeca, thaesaurum, thaeta, quae omnia Graeci per .e. productum scribunt.

28. Vae diphthongatur in vaenum, vaeneo, vaenundor, et vaendo, et vae interiectione. Vaeneo ut discrepet a venio in secunda persona et a dativo et ablativo pluralis eius nominis, quod est vena. Vaenundor et vaendo a vaenum supino et do composita a principali habent diphthongum. Vae interiectio dissidet a coniunctione ve per diphthongum. Sunt qui dicunt hanc dictiunculam a Graeco *ουε* esse ortam, *ου* in .v. propter consimilem sonum et *ε* in .ae. conversis.

29. Diphthongant praeterea quidam in principalibus syllabis dictiones quasdam, quas propterea superiori serie non collegimus, quoniam nobis probabiliter diphthongandae non videntur. Creta enim diphthongant nonnulli; sed cum a cresco verbo habere dicatur originem, et dicta creta quasi concreta, iure diphthongon videtur amittere. Demum etiam plerique diphthongant;

Thae — scribunt] Omissa in Gud.

thaesaurum] Neutrum vocabuli advertas, haud prorsus insolens.

venio] Gud. *venis.*

Vae interiectio — a coniunctione ve] Desunt in Gud.

dictiunculam] Vox in Lexicis desideratur.

conversis] De meo adieci ad complendam constructionem. Caeterum illud *ουε* non intelligo.

etiam plerique] Gud. *plerique etiam,* et mox *dicimus* pro *decimum.*

sed cum demum quasi decimum dictum esse feratur, minime diphthongandum videtur: a decem ideo dicitur demum, quod significat ad finem, quoniam in decem naturalis est finis numeri. Denique quidem similiter ad finem significat, a denus propter eandem caussam dicitur derivatum; unde scriptorum imputandum est culpae, quod reperitur nonnunquam diphthongatum. Videtur aliis a denuo et que esse compositum; fuerunt quidam, Marco Varrone teste, qui eas dictiones in principalibus productis diphthongari putarent, quia ab eis dictionibus derivarentur, quae in principalibus .e. correptam haberent, ut videlicet ipsa diphthongus esset indicio, correptionem primitivorum in derivatis non observari, ut saenus a sex, daenus vel daenarius a decem, saeculum a sequor vel

---

a decem ideo dicitur demum] Immo, quum antique *demus* dictum Festus v. *demum* referat, suspicor a Graeco *τῆμος* adverbium derivandum olimque *temus* scriptum fuisse, quod dein ex eo tempore, quo Latini *Cassantra* et *Alexanter* (sic enim olim Quintiliano teste scribere haec moris fuit) dicere desierint, in *demus* et *demum* mutatum est.

quidem] Abest a Gud.

similiter] Idem *persimiliter*.

que] Guelph. *quae*.

Varrone] Idem *Varone*. Locum non invenio.

haberent] Sic Gud., alter codex *habent*.

non observari] Negativam ignorat Gud.

sene. Et in saeculum quidem haec ratio usque nunc observatur; in caeteris vero eos potius aemulantur moderni, qui inconveniens arbitrabantur, ut .e. brevis in .ae. diphthongum converteretur. Plaebs quoque nonnullis in locis invenitur diphthongatum, et iure, quantum ad originem; a Graeco enim plasion, quod pluralitatem significat. Sed hanc diphthongon aperte Priscianus prohibere videtur, cum dicit ante duas consonantes finales reperiri non posse; ante duplicem autem posse, ut faex, faux, plaenus etc.

---

pluralitatem] Gud. *pluritatem*, quam vocem Latinus sermo non agnoscit. Et illa bis tantum apud Charisium reperta.

dicit] Gud. *dixit*. Prisciani locum non invenio.

finales] Gud. *finalis*.

etc.] Abest a Gud. Denique ad finem librarius Gudianus addit: *Τέλος. Laus deō, pax vivis, requies mortuis. Maria laudatur, quia a petro opus finitur.* De Petro librario vide Praefationem.

INDEX

AVCTORVM AB APVLEIIS LAVDATORVM.

INDEX
RERVM ET VOCVM AB APVLEIIS TRACTATARVM.

I N D E X

RERVM ET VOCVM IN NOTIS ET PRAEFATIONE EXPOSITARVM.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In contextu:

P. 87, 11 emenda *pronomen,* quamquam uterque codex *praenomen.*

- 89, 2 lege *disseremus* pro *dissereremus,* quod est vitium typothetae.

- 96, 10 corrigendum videtur *invenire* pro *inveniri,* quod uterque cod. tenet.

In notis:

P. 16, 7 lege AGR. pro ACR.

- 91, 10 lege *Hisidorum* pro *Hisidorus.*

- 96, lin. extr. lege *possit* pro *posset.*